QUAESTIONES LOGICAE, IN USUM SCHOLARUM

Jacob Nieuwenhuis

QUAESTIONES LOGICAE.

JACOBI NIEUWENHUIS,

IN ACAD. LUGDUNO-BATAVA PROF. ORDIN.

QUAESTIONES LOGICAE,

IN USUM SCHOLARUM.

Meminisse juvat.

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD H. W. HAZENBERG JUNIOREM.

MDCCCXLII.

LITERARUM ET PHILOSOPHIAE STUDIOSIS

S. P.

Qualecunque sit, nostra aetate, clarorum et sapientum virorum judicium de Philosophiae recentioris *dignitate ejusque necessitudine cum omni doctrinarum genere; cum hominum societate; cum legibus et institutis, quibus in singulis civitatibus respublica continetur; cum gentium Europaearum cultu; cum totius denique generis humani ad humanitatem progressione; hoc certe constat inter omnes viros doctos, eas latissime patere Philosophiae partes, quae de*

homine sentiente, cognoscente et adpetente, de finibus bonorum, de officiis, de cogitandi ac cognoscendi facultate, de Psychologia et de Logica arte praecipiunt. Quare dici non potest, quam male agant isti philosophiae vituperatores, qui juvenum animos a sapientiae studio avocant, et Artem Logicam, *ut disciplinam levioris momenti, alto despiciunt supercilio, aut ironice tractant.*

Sed nolite, quaeso, illis credere, juvenes optimi! aut istis perniciosis assentatoribus auscultare, qui, ut vobis aut amicis placeant, ex opinione vulgi praejudicatâ, iniquum de rebus gravissimis ferunt judicium. Sunt isti homines rationis expertis, qui, semet ipsos objective *subsistere obliti, omnem cognitionem humanam esse* subjectivam *altâ voce clamitant, eoque sibi parum constant.*

Sed mittamus hos philosophiae vituperatores, qui quod ignorant reprehendunt, ac potius diligenti fabularum milesiarum aut ephemeridum publicarum lectione, partiumque civilium earumque oppositarum studio delectantur.

Ad me quod adtinet, undecim anni sunt, quod librum scripsi ac typis edidi, elementa Psychologices Logicesque adumbrantem, non modo in publicum scholarum usum, sed etiam, uberiore rerum gravissimarum explicatione, privato tironum studio accommodatum.

Eo argumentorum delectum et explicationem constanter ad veri bonique fructum retuli.

Sed hujus libri usu, atque eorum, qui primo *studiorum Academicorum anno scholas* Logicas *parum plerumque praeparati adire solent, tironum exiguis sane profectibus edoctus, non parum mihi adlaturus videbar adjumenti cum discipulis nostris, tum aliis, in Academiis, Athenaeis, Gymnasiis philosophiae studiosis, si breviter et concinne* Logicae theoreticae *partem adumbrarem, et,* ratione intellectu facillima, *argumenta ejus in compendium contracta, ita typis describi et edi curarem, ut responsa ad singulas quaestiones cum libro majore congruerent non modo, verum etiam uberiores eo continerentur rerum explicationes.*

En igitur, generosi juvenes! hujus libelli originem, modum, usum. Speramus, lectores eum, qualemcunque, grate studioseque accepturos, ut tandem etiam in patria nostra reviviscant philosophiae studia, cum ad cognitionis suavitatem, tum ad ingenii fructum uberrima.

Quod reliquum est, gratiarum actionem publice absolvere debeo Viro Doctissimo J. T. BERGMAN, Theol. et Lit. Hum. Doctori, *qui meam in gratiam plagulas a prelo madentes summa cum diligentia percensere voluerit.*

Scripsi Lugduni Batav. d. XVI m. Martii, a. MDCCCXLII.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

PROLEGOMENA.

LOGICES THEORETICAE

PARS I.

Elementaris.

SECTIO I.

De Facultate Cogitandi.

Cap. I.

Cap. II.

SECTIO II.

De Cogitationis elementis sive partibus.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

LOGICES THEORETICAE

PARS II.

De Methodo.

SECTIO I.

De Methodo in universum.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

SECTIO II.

De Methodi logicae partibus.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

MONENDUM.

Paragraphi, cuique plerumque responso adjectae, referantur ad suos quaeque numeros operis majoris, sive Elementorum Logices, *ubi singuli loci copiose explicantur.*

QUAESTIONES LOGICAE.

PROLEGOMENA.

1. *Quid est* definitio, *et quare a definitione incipiendum?*

1). *Definitio* est brevis et circumscripta quaedam rei explicatio.

2). « Omnis, quae *ratione* suscipitur de aliquâ re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur." (Cic. *de Off.* I. 2.) Caeterum cujusvis institutionis ac disciplinae *initium* esse potest aut *subjectivum*, aut *objectivum*, aut *absolutum*.

2. *Quid requiritur maxime in definitione?*

In definitione hoc requiritur maxime, ut natura rei definiendae sic exprimatur, ut neque desit quidquam, neque abundet.

3. *Quotuplex est definitionum genus?*

Definitionum genus est duplex, alterum *rei*, *verbi* alterum.

4. *Quid est definitio* verbi?

Verbum definitur, ubi ejus vis et potestas ex linguae usu et ratione aperiuntur.

5. *Quotuplex est definitio verbi?*

Definitio verbi fit triplici modo:

1) Notatione, seu *etymologia*, cum petitur verbi potestas ab ejus origine;

2) *Synonymia*, qua distinguuntur plura nomina, quae eandem rem significare videntur.

3) *Homonymia*, qua distinguuntur plures ejusdem verbi significationes.

6. *An alicujus momenti est nominis definitio?*

Verbi definitio, etsi rei indolem non semper aperit, aut satis explicat, magnam tamen vim et utilitatem habet ad notionem rei aperiundam et explicandam.

7. *Quid est definitio* rei?

Definitur *res*, quando significatur, cui sit generi subjecta, et quomodo differat ab aliis rebus, eidem subjectis vel generi vel formae; id est, quum ponitur rei genus et differentia specifica. Nam quavis rei definitione tria continentur notionis momenta: 1) *universale* quid, sive genus proximum; 2) *particulare*, qualitas specifica; 3) *singulare*, res ipsa definienda.

8. *Quotuplicis generis est definitio rei?*

Definitio *rei* est duplex, *theoretica* et *practica*.

9. *Quid est definitio rei* theoretica?

Definitio rei *theoretica* est, quae proficiscitur a contemplatione alicujus qualitatis, qua significetur rei essentia, aut ponatur ejus genus et differentia specifica.

10. *Quid est definitio* practica *sive genetica?*

Definitione *practica* explicatur rei ortus per causam et effectum.

11. *Quid est* philosophia?

Philosophiae nomine significatur studium sapientiae.

12. *Quid est* sapientia?

1) Sensu *theoretico*, *Sapientia* fuit Antiquis scientia rerum divinarum et humanarum.

2) *Sapientia*, sensu *practico*, est scientia bene vivendi, in eo posita, ut, quae optima sint, optima ratione adsequi studeamus. Quo sensu antiqui *sapientes* (σοφοὶ) habebantur et vocabantur. Recte igitur Cicero (*Acad. Quaest.* IV. 9), haec duo maxima esse in philosophia, statuit: *judicium veri* et *finem bonorum;* nec *sapientem* posse esse, qui aut cognoscendi *initium* ignoret, aut *extremum* expetendi.

13. Scientia *quid est?*

Scientia est cognitio rei perspicua, vera et certa.

14. *Quid ei opponitur?*

Scientiae opponitur *ignorantia*, quae esse potest aut negationis aut pravae affectionis.

15. *Quanam re differt scientia a fide et probabilitate?*

A *fide* et *probabilitate* sive *verisimilitudine* scientia differt evidentiâ et fundamento.

16. *Quid est cognitio* perspicua?

Perspicua dicitur cognitio rei, cujus singulas partes aut notas intelligimus distincte.

17. *Quid est cognitio* vera?

Cognitio *vera* est notio rei adaequata.

18. *Quotuplicis generis est cognitio vera?*

Cognitio vera duplicis est generis, *directa* et *obliqua*. Haec acquiritur per demonstrationem, illa vero est evidentia principiorum et cognitio intuitiva.

19. *Quid est cognitio* certa?

Cognitio dicitur *certa*, quae firmo stabilique fundamento est superstructa.

20. *Quibus in rebus versari potest cognitio?*

Cognitio versari potest in re aut singulari, aut particulari, aut universali. Haec patet latissime, quae si constat notionibus, judiciis et consequentiis, certo ordine junctis, dicitur cognitio *systematica*. Huic opponitur notitia rerum *vulgaris*.

21. *Quomodo in diversa genera distribui potest cognitio humana?*

Omnis cognitio nostra, pro diversa contemplandi ratione et diverso divisionis fundamento, commode distinguitur in

1) *intuitivam* et *discursivam*:
2) *empiricam* et *rationalem*;
3) *theoreticam* et *practicam*;
4) *naturalem* et *positivam*;
5) *vulgarem* et *systematicam*.

22. *Ad definitionem* rei *quod adtinet*, *nonne diversae sunt Philosophiae definitiones?*

Differunt omnino apud diversos philosophos definitiones philosophiae.

1) Platoni philosophia est investigatio rerum aeternarum sive idearum, notionum rationis.

2) Aristoteles illam dixit, scientiam principiorum et causarum.

3) *Stoicis* philosophia est appetitio rectae rationis.

4) WOLFIO philosophia est scientia rerum, cur sint, aut fieri possint.

5) THOMASIUS eam dixit scientiam, quae de rebus omnibus ratiocinatur, secundum rectam rationem et divinam revelationem.

6) LEIBNITIO ea est scientia rationum sufficientium.

7) KANTIUS dixit philosophiam scientiam rationalem e notionibus.

8) FICHTIUS, scientiam scientiarum, qua nimirum continentur omnium artium ac disciplinarum principia,

9) SCHELLINGIO ea est scientia rationis absolutae.

10) HEGELIUS eam dixit universe contemplationem mentis cogitantis de rebus sibi objectis.

23. *Quid tenendum de hac discrepantia philosophorum?*

1) Diversae philosophiae definitiones verbis magis quam rebus differunt.

2) Quatenus vero differunt, earum dissensus in ipso homine facile ad consensum redigi potest.

3) Harum denique definitionum discrepantia egregie explicari potest e diversis causis universalibus et particularibus (Conf. *Initia Logicae, Proleg.* §. 3. N. III.)

24. *Quid nobis est philosophia?*

Objective: Philosophia nobis est scientia notionum maxime universalium et principiorum atque indolis cognitionis humanae; sive summa eorum, quae ratio docet de ideis informandis et adsequendis. *Subjective:* Philosophia est studium hujus scientiae acquirendae.

Adnotatio. Vulgo sumitur denominatio rei *objectivae* triplici sensu: Significat enim

1) Rem *extra nos* subsistentem;

2) Id quod rei competit *necessario* et *universum*, neque inhaeret in contingenti ac variabili percipiendi formâ subjectiva.

3) Rem cogitatam *per se* subsistentem.

24. *Quid requiritur maxime in philosopho?*

Officia boni philosophi Plato adumbravit egregie initio Libri VI. *De Republ.*, ad ingenii animique dotes quod adtinet.

Ratione ingenii cum discernere velis, quis animus sit philosophus, statim a teneris annis observandum:

1) Num quis naturâ sit justus et mitis, an iniquus atque agrestis;

2) Num ad percipiendum sit velox, an tardus;

3) Utrum obliviosus sit, an tenax memoriae;

4) An animo sit composito. *Animum* autem excelsum fortemque requirit philosophia. Verus philosophus

1) Omnes amet artes ac disciplinas, quibus ideae significantur ac declarantur aeternae;

2) Inde a teneris summo ardore id omne adpetat quod verum sit, pulcrum, bonum, sanctum.

3) Sensuum oblectamentis non eo se duci patiatur, ut jucundissimos artium ac disciplinarum labores negligat;

4) Vitam ipse ex aequo aestimet.

Verbo: philosophus sit homo perspicax, memoriae tenax, magnanimus, amicus veritatis, justitiae, fortitudinis, temperantiae.

Sed quotus quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moderatus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? (Tusc. II. 4; V. 24). Quorsum autem haec, nisi hoc cognitum atque perspectum habeamus, perfectam philosophi formam esse ideam rationis, quam sequamur oportet semper, etiamsi non magis atque ideam sanctitatis in hac vita unquam adsequi possimus.

26. *Antiquis quomodo dividebatur philosophia?*

Antiquis philosophiae partes erant tres: *physica*, *ethica*, *dialectica*.

27. Physicum *quem intelligebant Veteres?*

Physicus Antiquis fuit speculator venatorque naturae (Cic. *De Nat. Deor.* I. 30).

28. Natura *quid fuit Antiquis?*

Naturâ Veteres intelligebant nativam rerum corporearum et incorporearum indolem. *Physica* igitur illis fuit cum Philosophia naturalis, tum vero etiam Metaphysica, sive rerum internarum indagatio (§. 7. 8).

29. *Quid Recentioribus est* philosophia naturalis?

1) Nomen petitum est ab objecto, quod est rerum natura, et late spectat sensu theoretico ad innatas corporum et animorum virtutes investigandas.

2) Sensu strictiore *philosophia naturalis* est scientia vel investigatio naturae corporeae, observatione, experimentis et mathematicâ contemplatione superstructa.

30. *Quomodo distribuitur philosophia naturalis?*

Apte distribuitur philosophia naturalis in partes

puras, sive elementares, et *mixtas*, i. e. ut vulgo vocant, *adhibitas* sive *adplicatas*.

31. *Quaenam sunt partes* purae?

Philosophiae naturalis partes *purae* sunt quatuor:

1) Physiographia et Historia naturalis;

2) Contemplatio naturae mathematica;

3) Physica, sive doctrina mechanica et dynamica de corporum qualitatibus et naturae legibus;

4) Chymia, quae docet mutuas corporum affectiones, partium mutationes et compositiones.

32. *Quaenam sunt partes philosophiae naturalis adhibitae?*

Philosophia naturalis *adhiberi* potest:

1) Ad coelum stellatum, i. e. Astronomia;

2) Ad phaenomena atmosphaerae, i. e. Meteorologia;

3) Ad tellurem nostram, unde Geographia physica et Geologia;

4) Ad telluris rerumque naturalium culturam; unde Oeconomia ruralis;

5) Ad omnia vitae necessaria, commoda et objecta arte facta; unde Technologia, Hydro-architectura, atque id genus alia (§. 10).

33. *Quid est* Psychologia?

Psychologia est ea pars physices quae animi naturam indagat.

34. *Quotuplicis generis est Psychologia?*

1) Psychologia est aut *empirica* aut *rationalis*. Haec versatur in ipsa animi natura cognoscenda; illa in phaenomenis mentis animique accurate observandis et explicandis.

35. *Quid est* Anthropologia?

Anthropologiâ intelligitur doctrina de homine, ut de natura duplicis generis, corpore et animo constante. Distinguitur haec disciplina in Anthropologiam *physiologicam* et *pragmaticam.*

36. *Quid est* Physiologia?

Physiologia hominem exponit, quatenus naturâ est constitutus.

37. *Quid est Anthropologia pragmatica?*

Anthropologia *pragmatica* docet, quid homo ingenii animique excolendi ope adsequi possit. (§. 11.)

38. *Quaenam sunt Psychologiae empiricae partes?*

Psychologiae *empiricae* partes apte ducuntur a praecipuis animi facultatibus, quae continentur facultate *sentiendi*, *cognoscendi* et *adpetendi.* Facultate sentiendi id petimus, quod *pulcrum* sit atque gratum; facultate cognoscendi *verum* ipsum; facultate adpetendi id quaerimus, quod *bonum* sit, cum honestum, tum utile.

39. *Quid erat Antiquis* Ethica?

Antiquis *Ethica* erat ea pars philosophiae, quae agit de vita et moribus.

40. *Quaenam erant Antiquis Ethices partes?*

Duae illis fuerunt *Ethices partes*: δογματική, quae fontes boni et justi aperit; ac παραινετική, quae officia inde orta explicat. Hanc elaborare studuit Cicero libris De Officiis; illam vero libris De Finibus. (§. 13).

41. Dialectica *quid intelligendum?*

1) *Dialectica* Antiquis fuit ars subtiliter disserendi et docendi; sive contracta et adstricta eloquentia, quae *duas* habet partes; alteram inveniendi, alteram judicandi. Hanc *Dialecticam*, illam *Topicam* dixerunt Veteres.

2) Platoni vero hac notione latior fuit Dialectices significatio. Est illi ea philosophiae pars, quae docet, quomodo convertatur animus ad *τὰ ὄντα* contemplanda, isque perveniat ad scientiam. Quod ex Platonis sententia fieri potest pulcri adspectu, amoris *ἐνθουσιασμῷ*, iisque disciplinis, quibus, ut Arithmetica, Geometria et Astronomia, aperitur oculus animi, ut verum videat et inhaereat in ideis, tanquam perfectis rerum formis. Omnium vero maxime a sensibus et opinionibus avocatur animus et ducitur ad scientiam arte *dialectica*, quae docet verum a falso discernere; analyticâ disputandi ratione, distribuendis rebus in suas partes et colligendis. Ejusmodi Dialectica ipsi fuit fastigium omnium disciplinarum. *De Rep.* L. VII. p. 524 E.

3) Recentiori tempore Kantius fuit inprimis philosophus, qui Platonicam instauraret dialecticam, inducendis rationis Antinomiis. Omnium autem recentiorum Dialecticorum princeps fuit acutissimus Hegelius. (*Encycl.* s. 152 sqq.)

42. ***Recentiores quomodo Philosophiam dividere solent?***

Philosophiam dividunt Recentiores plerumque in duas partes, in philosophiam *contemplativam* et *activam*.

Philosophia *contemplativa* est naturalis aut speculativa. Haec, sola rationis auctoritate superstructa, dividitur in duas partes, in *Logicam* et *Metaphysicam.*

Philosophiae *activae* sunt *duae* partes, doctrina moralis sive *Ethica*, et doctrina de *Jure Naturae.*

Adjicitur tanquam tertia pars *Aesthetica.* (Conf. §. 16, 17.)

43. *Quid est Logica?*

1) *Logica* est ars ac scientia bene cogitandi, cogitationes ordine disponendi, ac via et ratione cum aliis communicandi.

2) In universali hujus disciplinae natura explicanda Veteres quatuor plerumque res considerarunt: ejus *genus*, *objectum*, *finem*, *officium.* (§. 18—22).

44. *Quomodo Veteres diviserunt Logicam?*

1) Celebrata est Veterum divisio Logices in *dialecticam* sive disputantem, et in *apodicticam* sive demonstrantem.

2) Nonnulli etiam Logicam diviserunt in *topicam* et *analyticam.* (§. 23).

45. *Nonne Logica comparari potest cum Grammatica?*

Omnino comparari potest cum arte *grammatica*, quae duabus constat partibus, *Etymologia* et *Syntaxi;* quarum haec voces ad orationem formandam construere docet: illa vero singularum vocum proprietates exponit.

Simile quid dici potest de Logica, cujus pars *elementaris* (etymologia) singulas cogitationes sive

cogitandi formas explicat, altera vero pars *methodologica* (syntaxis) rationem et viam docet cogitationes ordine disponendi et cum aliis communicandi.

Ex utriusque artis similitudine KANTIUS divisionem Logices in *elementarem* et *methodologicam* sumsisse videtur. (§. 24).

46. *Quaenam est nostra Logices distributio?*

Nos Logicam dividemus in partem *theoreticam* et *practicam*.

47. *Quaenam est Logices theoreticae distributio?*

Logicam theoreticam distribuimus

I. In partem *elementarem*, qua exponentur

1) Facultas atque leges cogitandi universales;

2) Cogitationis elementa sive notiones, judicia, syllogismi.

II. In partem *de methodo*, quae versabitur

1) In investigatione de methodo universe;

2) In principiis et elementis methodi logicae, imprimis definitione, divisione, argumentatione.

48. *Logica practica quomodo nobis distribuenda?*

Logicam practicam dividemus

I. In partem *elementarem*, qua investigentur

1) Errores atque morbi mentis cogitantis (*Pathologia* mentis);

2) Remedia et subsidia, quibus intellectus morbi, errores atque opiniones praejudicatae optime caveri aut tolli possint (*Therapeutica* mentis).

II. In partem de *methodo*, quae

1) Praecepta tradet de cognitione acquirenda;

2) De ratione logica cognitionis cum aliis communicandae.

49. *De hac Logices divisione in elementarem et methodologicam, quid animadvertit* Hegelius?

Hegelius hanc Logices partitionem non refutavit, sed discrimen tollere studuit, quod intercedit Logicam inter *subjectivam* et *objectivam*. Conf. Hegel's *Werke*, VI. s. 359.

Caeterum de Historia Logices, ejus praestantia et fontibus literariis, conf. §. 27—29.

PARS PRIMA ELEMENTARIS.

SECTIO I.

DE FACULTATE COGITANDI.

CAP. I. DE HUJUS FACULTATIS INDOLE ATQUE FORMIS.

1. Visum *quid est?*

Visum est simplex rei apperceptio.

2. *Quid est* res *et quomodo distinguitur?*

Res est materia, quae menti contemplanda objicitur, eaque distinguitur in *externam* atque *internam*.

3. *Quid est res* externa?

Res *externa* est, quae percipitur sensuum organis.

4. *Quid est res* interna?

Res *interna* est quodvis mentis *φαινόμενον*, quo declaratur hujus animique natura. Cicero « neque enim, inquit, minus nostra sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur" (*Epist.* V. 17).

5. *Quid est* apperceptio *rei?*

Apperceptio est ea animi actio, qua sibi rei objectae conscius fit.

6. *Quando dicitur haec apperceptio* simplex?

Apperceptio dicitur *simplex*, quando illa nihil aliud continetur, quam sola rei actio et animadversio.

7. *Quid agit* res *in animum?*

1) *Res* impellit movetque sensum; quo fit

2) Ut animus se vertat ad rem objectam;

3) Ut totam rem, singulas ejus partes, partiumque nexum et conjunctionem distinguat;

4) Ut haec omnia, recte observata, imaginatione et memoria teneat;

5) Ut ex illarum collatione escendat ad rem cogitandam *universe*, atque ita per genus et speciem sibi informet rei notionem.

8. *Quid est* genus, *quid* species?

Genus id est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. (Cic. *De Orat.* I. 42.)

9. *Quid est* cogitatio?

1) *Cogitatio* est *objective* rei repraesentatio universalis, quae complectitur particularem et singularem.

2) *Subjective* cogitatio est ea mentis potestas, qua sibi singulare et particulare *in universum* repraesentare potest.

3) Distinguitur *cogitatio finita* et *infinita*. Haec est potestas rationis, illa intelligentiae.

4) Quando cogitatur ipsa cogitatio, versatur mens cogitans in objecto ideali, quod poni tollique potest. Ejusmodi cogitatio recte dicitur infinita.

10. *Utrum* libera *est cogitatio an* necessaria?

Utraque est cogitatio, *libera* et *necessaria*. Cicero

« sentit animus, inquit, se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri, nec accidere posse, ut ipse umquam a se deseratur." (*Tusc.* I. 23.)

11. *Quid est* animus?

Animus est ea natura, quaecunque demum, quae in nobis sentit, cogitat, adpetit, adversatur et omnino conscia sibi est et sui et aliarum rerum.

12. *Animus an semet ipse etiam videre potest?*

Non valet tantum animus, ut *se ipse videat*, at, ut oculus, sic animus sese, non videns alia cernit. Non videt, quod minimum est, formam suam: vim, certe, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. (CIC. *Tusc.* I. 28).

13. *An sunt quaedam animi similitudines cum corpore?*

Sunt quaedam animi *similitudines* cum corpore. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: similiter animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum; remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere (*Tusc.* II. 23).

14. *Quid est* notio?

Notio est intelligentia rei.

15. *Quando rem habemus intellectam et perspectam?*

Habemus aliquam rem *intellectam* et *perspectam*, quando hujus tenemus notionem non modo inchoatam, sed elaboratam et consummatam.

16. *Quid est notio* inchoata?

Notio inchoata est levior rei notitia, tamquam schema imaginationis et delineatio intuitiva.

17. *Quid est notio* elaborata?

Notio elaborata est, quae cogitatione ita perficitur, ut res intelligatur e causis efficientibus et finalibus.

18. *Quid est notio* consummata?

Notio consummata est idea sive perfecta rei forma. Haec ideae significatio Platonica, a Kantio instaurata quidem fuit et distincta ab illa notionis abstractae atque universalis intelligentiae; sed explicata modo *negante*, quo ex ideae notione omnia amoventur ac tolluntur, quae sunt finita, imperfecta.

Propius a vero aberant Plato et Idealistae recentiores, qui docebant, res directe nobis apparentes, non tantum *nobis*, sed ipsas *per se* esse phaenomena sive patefactiones finitas Idearum aeternarum. (Hegel's *Encycl.* s. 96. 97. Conf. Pauli *ad Ep. Romanos* I. 19, 20.)

19. *Quid est animi facultas?*

Animi facultate intelligitur ejus innata vis agendi, qua sua sponte aliquid efficere potest homo (§ 30).

20. An animi natura est *activa* aut *passiva*?

Animi natura *duplex* est, *activa* et *passiva* (§. 30.)

21. *Quid imprimis investigandum in animi facultatibus perquirendis?*

1) Animadvertantur ipsae animi *facultates primariae* innatae, *usu evolutae*, aut *arte acquisitae.*

2) Naturae leges, quibus obedire debet quaeque animi facultas.

3) Cujusvis facultatis cognoscantur fines aut agendi limites.

4) Cujusvis denique actiones atque effectus (§. 31).

22. *Quaenam sunt tres primariae animi facultates?*

Tres primariae animi facultates dicuntur facultas *cognoscendi*, *sentiendi* et *adpetendi* (§. 32).

23. *Quid est facultas* cognoscendi?

Facultate cognoscendi ea intelligitur mentis potestas, qua rem objectam cogitat ut ea revera est.

24. *Quotuplex est cognitionis genus?*

Cognitionis genus est duplex, *intuitivum* et *discursivum*.

25. *Quid est cognitio* intuitiva?

Cognitio dicitur *intuitiva*, quae oritur ex ipsa rei intuitione aut declaratione per sensum externum aut internum.

26. *Quid intelligitur cognitione* discursiva?

Cognitio dicitur *discursiva*, quae cogitatione acquiritur, discurrendo per singulas rei partes notasque (§. 32).

27. Intellectus *quid est?*

Intellectus est mentis potestas rerum perceptarum notiones sibi informandi, ex earumque comparatione novas efficiendi.

28. *Quotuplex est actio intellectus?*

Intellectus agit *triplici* modo.

1) Rei perceptae ejusque notarum *animadversione*;

2) Notarum *comparatione*, unde oriuntur judicia, enunciationes;

3) Judiciorum collatione et *argumentatione.*

29. *Intellectus vis qua in re cernitur maxime?*

1) Notionum copia ac diversitate;

2) Perspicuitate et judicii acumine;

3) Facili mentis agilitate in notionibus sibi informandis claro-distinctis, in subtiliter judicando, in recte argumentando.

30. *Quaenam sunt cogitationis elementa ?*

Praecipua cogitationis *elementa* sunt:

1) *Perceptiones, notiones;*

2) *Judicia, enunciationes;*

3) *Syllogismi, argumentationes.*

31. *An requiritur necessario ad vitam beatam ut recte cogitemus?*

Nisi recte cogitemus, beate vivere non possumus. Arcto enim societatis vinculo conjuncta est cogitatio cum ipso sensu, cum voluntate. Cicero, » docto; « inquit, homini et erudito *vivere* est *cogitare.* — « Sine adspectu rerum, sine varietate colorum licet « vivere beate; sine notione rerum non licet." (*Tusc.* V. 33—40).

32. *Quaenam aliae facultates insunt facultati cogitandi?*

Facultati cogitandi subjecta est facultas *percipiendi, animadvertendi, animo fingendi, memoria tenendi, judicandi, argumentandi* (§. 34).

33. *In percipiendi actione quaenam cernuntur?*

In ipsa *percipiendi* actione haec *tria* observentur.

1) Res quae in sensum incurrit, mentique objicitur (*objectum*);

2) Affectio sensus externi aut interni (*sensatio*),

4) Mentis ad rem adplicatio (reflexio), rei *animadversio* (§. 33).

34. *Quomodo distinguitur sensus* externus?

Sensus *externus* distinguitur vulgo in sensum *vagum* et *fixum*.

35. *Quid est sensus vagus, et quomodo distribuitur?*

Sensus *vagus* est corporis sensus vitalis, per omnes nervos ita distributus, ut, paucis corporis partibus exceptis, veluti crinibus atque unguibus, nervorum ope ubique sentire possimus.

36. *Quid est sensus* fixus?

Fixus dicitur sensus, qui adstrictus est *quinque* sentiendi organis, nimirum in solito vigiliae statu. Nam in somnambulismo et magnetismo animali alia corporis pars, v. c. ganglion thoracicum, vicarias visus auditusque partes agere videtur (§. 35).

37. Hegelius *quomodo sensus corporis distinguit?*

Ab Hegelio distinguuntur sensus corporis in tria genera:

1) Primo continetur sensus actionis *mechanicae*, ut sensus ponderis, cohaesionis, caloris, caet.

2) Sensus *solutionis* sive actionis *chymicae*, veluti status aerii, odoratus, gustatus;

3) Sensus *idealitatis*, qui corporum fines migrare videntur. Huc pertinet *primum* iste sensus idealitatis, quo nobis patefactae sunt res externae, sensus lucis et coloris: *deinde* sensus idealitatis,

quo declarantur res internae, veluti sensus auditus.

38. *Quid statuendum de sensuum externorum dignitate et praestantia?*

1) Tactu, auditu et visu augetur maxime atque evolvitur cognitio nostra.

2) Latissime patet visus.

3) Num vero auditus visu praestantior sit, difficile est dictu.

4) Gustus atque olfactus corporis conservationi, regimini, oblectationi et humanitati promovendae inserviunt maxime.

5) Infimum locum tenet tactus, qui quippe ad intervallum agere nequit.

39. *An hominis sensus illos brutorum animantium superant?*

Hominis sensuum organa *brutorum* illis *animantium* longe *perfectiora* sunt, non quidem acumine et latitudine; sed in homine sensus organa sunt *rationis ministri*, ad sensum, veri, pulcri, boni excolendum: sunt insuper ita acres et constituti, ut 1) longinquas res magno ex intervallo percipere et propinquas continuo cernere possint; ut 2) sonos mollissimos, colores gracillimos et infinitam saporum et odorum diversitatem singillatim atque distincte complectantur; ut 3) quisque denique hominis sensus perfici, et musices, graphices, aliarum rerum usu ad artes promovendas acui possit.

40. *De tactu quid animadvertendum?*

1. *Tactus*, etsi per totum corpus distributus, inhaeret maxime apicibus digitorum.

2. Agit *mechanice* per pressionem caet.

3. Tactu directe percipiuntur corpora, nullo intervallo interjecto.

4. Perceptiones tactu haustae sunt imprimis:

1) Corporum subsistentium perceptio;

2) Nostrum ipsi corpus ejusque membra partesque percipimus;

3) Tactu nobis declarantur corporum qualitates *mechanicae* et *dynamicae*, minime vero chymicae (§. 37).

41. *De gustu et olfactu quid animadvertendum?*

1. Gustus et olfactus singulares sunt tactus modi, et invicem arcte cohaerent.

2. *Gustu* distinguuntur imprimis corpora, quae aqua solvi possunt; *olfactu*, quae aëre solvuntur et propagantur.

3. Innumera sunt saporum et odorum genera, cum simplicia, tum composita; sed desideratur utriusque sensus scala et gradationis norma.

4. Utriusque actionem maxime adjuvare possunt reliqui sensus, imprimis *imaginatio*.

5. Utriusque sensus potestas in hominem excolendum eo cernitur, quod

1) Uterque nobis praebet infinitam perceptionum copiam, qua diversa esse corpora percipimus.

2) Utroque sensu *chymicae* nobis patent corporum qualitates.

3) Odorum effluvia innumera nobis declarantur

corpusculis, quorum exiguitas imaginationis vim longe superat.

4) Magna denique est odorum nonnullorum potestas in excitandam et instaurandam sentiendi ac cogitandi facultatem.

42. *Visu quid percipimus?*

Visu percipimus:

1) Lucem;

2) Colores objectivos et subjectivos;

3) Corporum magnitudinem, motum, intervallum.

4) Visu permultae sunt superstructae artes.

5) Visus maxime est subsidium cogitationis intuitivae et discursivae (§. 39).

43. *Quaenam auditu acquiruntur perceptiones?*

1. Quae *auditu* hauriuntur perceptiones, dicuntur *soni*, distincti in *confusos* sive *irregulares*, et *distinctos* sive *regulares*, cujusmodi sunt loquelae, cantus, instrumentorum musicorum.

2. Auditu non percipiuntur corpora ipsa, quemadmodum tactu.

3. Perceptiones auditu haustae cum illis visus consentiunt maxime (§. 40).

44. *Quaenam sunt sonorum genera?*

Sonorum sunt *diversa genera*, quae distinguuntur quantitate et qualitate.

1) *Qualitate*, sonorum diversitas pendet maxime a corporis sonori *materia*;

2) *Quantitate*, a magnitudine corporis sonori et a celeritate vibrationum, quarum certis denique finibus circumscripta est perceptio.

3) Qui ex simplicissima vibrationum ratione oriuntur soni, dicuntur *consonantes;* alii, auribus ingrati, *dissonantes.*

4) Simpliciorum tonorum rationem, quam *intervallum* dicunt musici, quomodo mens auditu percipiat, difficile est intellectu (§. 41).

45. *Quid animadvertendum de perceptionibus compositis?*

1. Omnes perceptiones sensu haustae plerumque non agunt sejunctae, sed potius sibi invicem multum adferunt adjumenti ad efficiendam perceptionum latitudinem et evidentiam.

2. Conjuncto tactus, visus et olfactus sensu, non facile decipiemur in corpore fluido a solido discernendo.

3. Ex auditus et visus conjunctione certiores fieri possumus de objectorum intervallo et distinguere visa a rebus externis.

4. Ex conjunctione tactus atque auditus permultae oriuntur perceptiones compositae, quibus nonnulli egregie usi sunt ad homines surdos mutosque docendos et erudiendos.

46. *Sensus externi an ipsi percipiunt?*

Sensus externi non ipsi percipiunt; sunt enim tantummodo *organa*, viae quasi quaedam ad oculos, ad aures, ad nares, a sede animi perforatae: — ut facile intelligi possit, animum et videre et audire; non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi quid agat et adsit (*Tusc.* I. 20).

47. *Quid igitur sensus est proprie?*

Quaestionem moves magni momenti. *Mens* enim ipsa, quae *sensuum fons* est, etiam ipsa *sensus* est, ipsa *intellectus*, ipsa *ratio*. (*Acad.* II. 10).

Objective sensus esse videtur naturalis quaedam vis, sibi conscia, quam intendit mens ad ea quibus movetur.

Subjective sensus est ipse modus, quo sibi directe conscia fit mens sui ipsius status, in quo nunc versatur; est ipsa vitae interioris forma et declaratio directa.

48. *Quid inde consequitur?*

1) Suum cuique proprium esse sensum, adeoque in singulis hominibus maxime diversum; omnes autem convenire posse in *cogitatione*, ut in uno eodemque fundamento stabili.

2) Nulla *argumenti* inclusi habita ratione, sensum esse coecum animi motum; solam vitae interioris formam, quae mala aeque atque bona esse possit. (Matth. XII: 35. XV: 19).

3) Omnes animi motus, actiones, cogitationes, voluntates primum ac directe declarari sensu et conscientia interiori, ut nihil sit in intellectu, nihil in ratione, quod non prius fuerit in sensu.

4) In sensu quid natura ferat, quid usu, consuetudine, *moribus* populorum adquiratur, caute distinguendum. Legatur Corn. Nepotis *Praefatio*.

5) Sensus denique interni ἐναργείαν pendere maxime a corporis constitutione, puerorum educatione, aliis rebus externis. Non semper tamen eadem ra-

tione hebescit, aut acuitur sensus internus, qua intermittitur aut promovetur externus.

49. *Quid est* intuitio?

1) *Intuitio* est directa perceptio rerum, quae in sensus externos atque in internum incurrunt.

Id quod sensui objicitur, dicitur *reale* intuitionis *objectum;* sed hujus objecti animadversio, cum conscientia sui conjuncta, recte appellatur *ideale* intuitionis *subjectum.* Ad hoc igitur pertinet conscientia sui; ad illud vero perceptio, et in utriusque conjunctione posita est *intuitio*, sive directa rei perceptio.

40. *Quare cognitio intuitiva est maxime certa et evidens?*

Cognitionis intuitivae virtutes versantur maxime in ejus ratione certa et evidente. In ipsa enim intuitione inhaeret perceptio indirecta ac necessaria, et coalescunt res percepta, rei impulsio in nervos, animadversio, hujusque animadversionis conscientia ac perceptio: quo fit, ut necessitudinis vinculo cohaereant visa cum ipsa intuitione.

51. *Quid est* conscientia *et* conscientia sui?

1. *Conscientia* universe haec est, ut mens sibi sciat affectam a re objecta, quam percipiat, cogitet, adpetat, caet.

2. Sed *conscientia sui* est perceptio sui ipsius, sive naturae, quae eadem manet persona, etiamsi omnia mutentur, quarum vicissitudinum sibi conscia sit

Haec conscientia sui sine conscientia rerum succedentium cogitari nequit; utriusque discrimen ponitur in animadversione sui ipsius et rerum externarum,

sed idem tollitur quando mens semet ipsa inspicit, ut naturam sui consciam.

52. *Quaenam* percepta evidentia *omnique demonstratione antiquiora continentur hac conscientia sui?*

Hac directa sui ipsius perceptione mens sequentia animadvertit:

1) *Se adesse*, eamque nobis esse naturam, quam nostrum *Ego* dicamus;

2) Hanc nostri naturam esse *simplicem*, unam, neque partibus constare;

3) Eamque nullius rei esse attributum aut accidentiam, sed *substantiam*, quae suâ potentia innata subsistat et accidentia sustineat;

4) Nos esse naturas *libertate* praeditas, neque *res* sed *personas;*

5) Nos eosdem esse, qui fuerimus et futuri simus, ad personarum *identitatem* quod adtinet, quam Kantius apperceptionem transcendentalem appellavit, sive unitatem transcendentalem conscientiae sui ipsius. Quibus haec conscientia sui non firma est atque integra, ut alio tempore alias se personas esse putent; hi personarum dignitatem amittunt, sibique ipsi non constant.

53. *Quid est* animi attentio?

1) *Animi attentio* est vis mentis contemplantis, in aliquam rem ita conversa, ut inde efficiatur accuratior rei perceptio et indagatio.

2) Esse potest haec vis *ampla* vel *restricta; sta-*

bilis aut *volubilis; firma* aut *infirma; vivida* vel *debilis.*

3) Animi attentio, ad res externas adhibita, dicitur *observatio;* quae vero versatur in rebus internis, appellatur *meditatio.*

4) Animi attenti virtutes sunt, ut magnum sit ejus robur et late pateat haec facultas

5) Pendet maxime ab incitamentis externis atque internis.

6) Acumine diversae sunt animi attenti formae, quae dicuntur *sagacitas*, *lepor*, *subtilitas.*

54. *Quid est* sagacitas?

Sagacitas est naturalis quaedam solertia ad detegendas celeriter rerum notas, causas atque momenta. Magni momenti est haec facultas, sed abit facile in *calliditatem.*

55. *Quid est* lepor?

Lepor est ea mentis facultas, qua singulari quadam agilitate similitudines cernit in rebus dissimilibus. Animadversae ejusmodi similitudines sunt *naturales* aut *tropicae*, cujusmodi sunt *metaphora*, *metonymia*, *synecdoche*, *aenigmata*, *acute dicta*, *fabulae*, *adagia*, *sententiae*, *facetiae.* Imprimis autem placet *nativa* quaedam ingenii *simplicitas.*

56. *Quid est* subtilitas?

1) *Subtilitas* est mentis potentia minutissimas rerum differentias, reconditissimas ipsarum causas et nexum remotissimum perspiciendi.

2) Praecipuum igitur subtilioris ingenii munus est, genera formasque bene dividere et distinguere.

3) Versari potest subtilitas philosopha aut in *verbis* ac contortis conclusionibus, aut in *rebus.*

57. *Quid animadvertendum de* subtilitate verborum?

Verborum subtilitas posita sit

1) in accurata verborum explicatione, quâ via sternitur ad bonam definitionem.

2) In cautione ab eo sermonis genere, quod, ut Stoicorum saepius, non sit liquidum, non fusum ac profluens, sed aridum vel spinosum; etsi venia est terminis artis, in disciplinis artibusque adhibendis.

58 *Quid animadvertendum de* subtilitate rerum?

Subtilitas in rebus indagandis duabus hisce legibus sit adstricta:

1) Conjungatur semper cum oratione pura et artis peritis perspicua;

2) Ne latius pergat, quam ad ea investiganda, quae rebus observatis sint involuta aut animo inclusa. Multum enim est, de quo quaerendum non sit.

59. *Quid est facultas* abstrahendi?

1. Animi attenti avocatio ab aliqua re aut a nonnullis ejusdem rei notis dicitur *abstractio.* Est ejus facultas duplex, *activa* et *passiva.*

2. *Activa* est arbitraria mentis actio unam rei notam ab integra re sejungendi ac singillatim contemplandi.

3. Agendo desinit haec facultas, i. e. fit *passiva*, quando una re ita totus tenetur animus, ut nihil aliud videat, audiat, cernat.

60. *Quaenam sunt conditiones legesque universales, quibus adstrictus est omnis sensus?*

1. *Prima* lex perceptionis haec est: ut sensus internus atque externus adsint simul in rebus externis animadvertendis. *Altera:* ne cogitatione quid tribuamus rei externae, quod non sensu haustum sit.

2. De causis sensus externis haec imprimis animadvertantur praecepta:

1) Sensus sint sani et valentes, neque ulla re impediti;

2) Rerum impulsiones in organa, nullo vitio laborantia, sentiantur;

3) Res percipienda pluribus, quantum hoc fieri potest, subjiciatur sensibus.

4) Singulis ea sensibus exploretur vario modo.

5) Usu et arte adjuvetur et corroboretur sensus.

6) Sensu fortiore obscuratur debilior.

7) Eaedem impulsiones in sensuum organa, eodem modo agentia, eundem efficiunt sensum; diverso diversum;

8) Impulsione in organa impedita, impeditur sensus;

9) Non semper visorum perceptio sensuum organis adstricta esse videtur.

10) Sensu etiamsi res externa neque tota, neque ita, ut est *per se*, cognoscatur; ipsa tamen sensuum evidentiâ esse res externas evincimur, *eandemque* esse *rerum* inter se *rationem*, atque *perceptionum*, quae earum ope efficiantur.

11) In spatio et tempore omnes nobis apparent res

corporeae; utrique igitur modo adstrictus est sensus externus, sed tempori soli sensus internus.

12) An aliorum perceptiones ejusdem rei cum nostris consentiant necne, mathematica ratione evincitur facile (§. 50).

61. *Quid est* imaginatio?

Imaginatio est facultas visa rerum, quondam sensu hausta, instaurandi ex iisque nova fingendi.

62. *Quotuplicis generis est imaginatio?*

Imaginandi facultas est *duplex*, *revocans* aut *fingens*.

63. *Imaginationis* revocantis *exponantur indoles*, *officia*, *virtutes et agendi ratio.*

1) Imaginatio *revocans* est facultas visa quondam percepta ad similitudinem accurate instaurandi.

2) Ejus officia sunt, ut ea

α) sit sensuum vicaria;

β) fidelis et accurata;

γ) late pateat ad omnes res externas atque internas.

3) Ad virtutes quod adtinet, eo perfectior est haec facultas,

α) quo plura simul revocantur visa;

β) quo facilius hoc fieri solet;

γ) quo antiquiora sunt visa.

4) Hujus facultatis agendi ratio diversa est:

α) *arbitraria* aut *involuntaria;*

β) *directa* aut *obliqua.* Huc pertinet consociatio idearum.

γ) Perspicuitatis gradu differt. Conf. §. 51.

64. *Quid est imaginatio* fingens?

Imaginatio *fingens* ea est mentis facultas, quae, rebus sejungendis et componendis, novas sibi informat imagines, ut equi volantis, montis aurei, caet.

65. *Quaenam sunt imaginationis fingentis ratio atque genera?*

1) Imaginatio fingens *duplici* agit *modo*, *dissolvendo* ac *componendo*, etsi adstricta semper corporum formis.

2) *Tria* visorum genera producit imaginatio fingens; sunt enim ejus repraesentationes aut sensuum *visa* ac percepta; aut intelligentiae *notiones delineatae* (corporeae), ut fictiones, fabulae; aut rationis *ideae*, sive perfectae rerum formae.

66. *Quid judicandum de imaginationis fingentis praestantia?*

1) Magni quidem momenti est haec imaginatio fingens, cum ea sit

α) artium plurimarum fons uberrimus, earumque officina;

β) cognitionis humanae adjutrix;

γ) institutionis allegoricae fundamentum;

δ) dux rationis in perfectis rerum formis sibi informandis;

ε) honestatis praesidium, quodsi imaginatio ad rectam rationem componatur.

2) Sed aberrare potest imaginatio fingens,

α) mentem avocando a rebus gerendis;

β) homines imbuendo fictis atque falsis rerum imaginibus;

γ) intemperata et effrenata imaginandi libidine.

δ) animum traducendo ad quaecunque vitia.

67. *Quid requiritur imprimis ad imaginationem fingentem regendam?*

Ad imaginationem fingentem regendam, haec teneantur praecepta:

1) Ut sibi caveat quisque, ne illam comprimendam aut delendam putet;

2) Ut bonis artibus ac disciplinis addiscendis egregiam hanc facultatem exerceat;

3) Ut omnem suam cogitandi ac sentiendi rationem componat ad rectae rationis normam atque praecepta (§. 51. 52.)

68. *Quaenam sunt praecipuae animi conditiones, ex imaginatione explicandae?*

Quae ex imaginatione originem ducunt mentis animique conditiones, sunt imprimis: *mysticismus; fanatismus; somnium; somnambulismus; insania; hypochondria; delirium* (§. 55).

69. *An imaginatione latius patet* memoria?

Imaginatione latius patet *memoria*, quae quippe totum complectitur hominem, omnes ejus actiones et perpessiones, nec modo sensuum visa, res adspectabiles, verum etiam intelligibiles.

70. *Quomodo distinguitur memoria?*

1) In *agentem* et *patientem;*

2) In *sensualem*, *intellectualem* et *rationalem* (§. 54).

71. *Memoriae vis et bonitas quomodo aestimandae?*

Bona memoria aestimetur

1) e capacitate et copia notionum quas tenet;

2) e facilitate et celeritate rerum, verborum ac dispositionis perceptiones animo tenendi, easdemque post temporis intervallum instaurandi.

3) ex ratione parata et accurata, quâ pristinas notiones tenere et instaurare possumus.

Bona igitur memoria sit capax, facilis, fidelis (§ 54).

72. *Quaenam sunt praecipua memoriae phaenomena?*

Praecipua memoriae phaenomena differunt,

1) pro diversa hominis aetate;

2) pro diversa corporis conditione;

3) pro diversis ingenii dotibus (§. 55).

73. *Refer praecipuas memoriae leges?*

1) Lex memoriae universalis continetur *associatione idearum*, qua revocantur visa, eodem tempore, loco, ordine hausta;

2) *Altera* memoriae lex est *similitudinis*, qua similia visa se invicem facile revocant;

3) Tertia est *ordinis* studium et *repetitio*.

4) Diutissime tenentur

α) Visa clara eaque distincta;

β) Repraesentationes recentiores, efficaciores, visis proximae.

γ) Omnia facilius et diutius memoria tenentur, quae animo accepta sunt placido et intento.

δ) Jucundiora ingratis facilius recordamur (§ 56).

74. *Quid judicandum de augenda memoria ut-*

que de arte mnemonicâ.

1) Duplex est memoriae augendae ratio, *naturâ* et *arte*.

2) *Naturalia* memoriae adjumenta sunt animus attentus, ordo logicus, repetitio, excerpendi ratio.

3) *Arte* augeri potest memoria *duplici* ratione, *mechanicâ*, et *ingeniosâ* sive *topicâ*, id est, *mnemonicâ* (§. 57).

75. *Quid est facultas* judicandi?

Facultas *judicandi* (*oordeelen*, primitivum quid discernere) est ea mentis actio, qua datum quid atque perceptum in suas quodque partes ita distinguit atque comparat, ut, quid inde affirmari aut negari possit, videat.

76. *Num judicium de rebus objectis valet tantum* subjective, *an vero etiam* objective?

Omne de re *objecta* judicium hoc nititur fundamento, ut principio stabili: *Eandem esse rerum inter se rationem* proportionemque, atque inter *visa* et *notiones*, quae ab iis oriantur (§. 58).

77. *Quotuplici modo agit* judicandi facultas?

Facultatis judicandi munus est *duplex*:

1) Ut aut ex *universalibus* ducamus particularia et singularia; aut

2) E *singularibus* et *particularibus* escendamus ad universalia.

78. *Quaenam sunt maxime observanda in judicandi actione?*

In judicando

1) nobis caveamus, ne sententiam proferamus,

priusquam rem accurate intellectam et perspectam habeamus;

2) ne animi motu aut perturbatione nos duci patiamur (Cic. *de Orat.* II. 42);

3) imprimis spectentur momenta, quibus impellamur ad judicandum (§. 58).

79. *Quid est facultas* ratiocinandi?

Facultas *ratiocinandi* est facultas rem probandam conficiendi ex principiis.

80. *Quid est* principium?

Principium est verum quid, *aut* probatum et concessum, *aut* omni demonstratione antiquius.

81. *Quid igitur est ratiocinatio?*

Ratiocinatio est ea mentis actio, qua rationes rei probandae e principiis reddere conatur.

82. *Quare principia veri, boni, pulcri, fundamenti loco sumi possunt?*

Principiis omne verum, bonum, pulcrum nituntur, quia in his, ut in *ultima* ratione sufficiente, acquiescere tandem debet homo ratiocinans (§. 42).

83. *In ratiocinando quotuplici modo versari possumus?*

In ratiocinando *duplici* modo versari possumus.

1) Ex datis enim atque concessis conditionibus deducere possumus aliquam conclusionem; qui est *modus vulgaris*, quo syllogismis conjungendis respondetur ad quaestionem: *Quid inde consequitur?* — Haec via est *progressus* a conditione ad conclusionem, sive a principio ad consequentias.

2) Sed *alius* concludendi modus positus est in

regressu; quo fit, ut ratio a consequentiis regrediatur ad conditionem, sive ad rationes investigandas aut ponendas, quae admittendae sunt ad bonam conclusionem. In hisce autem conditionibus investigandis non prius acquiescere potest ratio, quam aliquam ipsa invenerit conditionem aut rationem, quae prima sit, omni alia antiquior; quae igitur per se certa sit stabilisque, neque ab alia pendeat conditione.

84. *Quid inde efficitur?*

Hoc modo efficitur, sua sponte, e nativa rationis indole, idea *absoluti*, nullis adstricti conditionibus; quod recentiores dicunt *non conditionatum* (*het onvoorwaardelijke*).

85. *Quomodo hoc absolutum considerari potest?*

Hoc absolutum considerari potest ratione *materiae* atque *formae*.

1) Ad *materiam* quod adtinet, ex idea absoluti, adhibita ad subjectum cogitans, proficiscitur notio *subjecti absoluti*, quod nullius alius esse potest praedicatum; sive notio *animi*. Ex idea absoluti, adhibita ad nexum subjectum inter et objectum, efficitur idea *principii absoluti*, quod nullo alio nititur fundamento; sive idea *Dei*. Ex idea denique absoluti, adhibita ad objecta percepta et cogitata, oritur *idea universi*, quod non amplius sit pars alicujus rei majoris, sed totum absolutum; sive notio *mundi* aut rerum universitatis.

2) Ratione *formae* si consideretur absolutum, inde oriuntur *infinitae* numero atque potestate ideae, omnibus numeris absolutae; quae tamen, ratione ha-

bitâ *triplicis* animi facultatis cognoscendi, sentiendi et adpetendi, omnes facile reduci possunt ad ideas *veri*, *boni*, *pulchri*.

86. *Nonne hinc facile intelligitur dissensio philosophorum in* rationis *facultate* definienda?

Hinc facile est intellectu, quare magna semper fuerit philosophorum discrepantia in *ratione* definiendâ.

1) Qui enim spectant maxime ejus vim et potestatem in argumentando et rationibus reddendis sufficientibus, hi rationem intelligunt facultatem cogitandi ex principiis.

2) Qui viam animadvertunt, qua ducitur ratio in concludendo a datis conditionibus ad absolutum quid, rationem dicunt potentiam absoluti.

3) Considerantibus autem rationi inesse ideas veri, pulcri, boni, justi, sancti, ad cognoscendi, sentiendi et adpetendi facultatem perspiciendam et dirigendam, ratio est facultas idearum, sive facultas perfectas rerum formas sibi informandi et ad vitam adhibendi.

4) Qui hunc *duplicem* contemplandi et agendi modum conjungunt, rationem dicunt facultatem, qua homo sua sponte sibi ipse constat in vita contemplativa et activa, aut facultatem cognoscendi et agendi ex principiis.

5) Jam vero cum vita *activa* referatur semper ad fines aliquos nobis ponendos, ratio dicitur quoque facultas, qua discernimus et adsequi volumus quod optimum sit.

6) Habitâ denique ratione principiorum, quae ex nativa hominis indole oriuntur, ratio est patefactio τοῦ absoluti in conscientia sui.

87. *Quid tenendum de divisione rationis in* theoreticam *et* practicam?

Distinctio haec rationis *theoreticae* et *practicae*, in ipsa hominis natura posita, jam Antiquis, ARISTOTELI, SENECAE, AUGUSTINO, aliis cognita fuit.

88. *An intellectu superior est rationis facultas?*

Omnino *ratio* est facultas *intelligentiâ superior;*

1) Etenim intelligentia versatur modo in *finitis* cogitandi formis, neque fines alicujus notionis aut judicii migrare potest.

2) Sensu *theoretico* ratio nititur semper ad harmoniam omnium notionum, ad cognitionem absolutam.

3) *Practico* sensu eo nititur, ut omnibus consiliis nostris factisque consummatam adsequamur harmoniam.

4) Hoc duplici modo ducimur rationis ope ad perfectam veritatem cognoscendam et ad bonum absolutum acquirendum. Utroque modo ratio est *nomothetica*, quandoquidem leges fert *physicas* atque *morales*. Semper tamen est *una eademque* ratio, a qua distinguantur intelligentia et facultas judicandi, ut rami particulares ejusdem arboris cognitionis boni atque mali; nimirum supremae cognoscendi et agendi facultatis.

89. *An diversa est ratio in diversis hominibus?*

Genere atque origine divina quamvis non diversa sit ratio in diversis hominibus, nec differat pro diverso hominis cultu, sexu, aetate; multis tamen variisque gradibus e coeco emergit instinctu, atque ex prima et inchoata intelligentia escendit ad notiones elaboratas et consummatas, ad naturae suae maturitatem, ad intelligentiam et conscientiam sui ipsius, ad transitum denique rationis subjectivae in rationem objectivam, quo perveniat, ad rectam rationem, ad vitam beatam, ad hominis cum Deo societatem, ad similitudinem Dei, et ad rationis divinae simulacrum, quod est eo efficacius, quo propius abest homo ab origine sua divina (§. 59).

90. *Quaenam sunt rationis opera atque effectus?*

Ut intelligentia continetur notionibus, judiciis et syllogismis; sic etiam ratio suas sibi habet *notiones*, θεωρίας (doctrinas systematicas) et absolvitur summis finibus constituendis, sive *ideis* veri, pulcri, boni cognoscendis, artibus elegantioribus significandis, iisque hominis atque societatis progressione ad humanitatem promovenda.

91. *Quodnam igitur est primarium rationis praeceptum?*

Summum *rationis praeceptum*, cui utinam obediremus semper! hoc est: *Perfice te; Tibique ipse consta.*

92. *Quid animadvertendum de multiplici facultatum cognoscendi diversitate?*

Multae sunt mentis animique facultates, *quasi juxta*

se positae, quarum summa efficitur cognoscendi potestas.

Omnes tamen quodammodo sunt *inventrices*, sed duplici discretae genere, altero *rationis*,*ingenii* altero.

93. *Rationis et intelligentiae facultates quomodo agunt?*

Ratiocinatio, intelligentiâ et judicio nitens, caute ac pedetentim progreditur ad consequentias, respondendo ad quaestionem intelligentiae: *quid verum sit?* — ad illam judicii: *quid maximi sit momenti?* — ad rationis denique quaestionem: *quid inde consequatur?*

94. *Quod ut bene fiat, quid imprimis observandum?*

Ad hanc quaestionem ut recte respondeatur, haec praecipue teneantur praecepta:

1) Nulli cuiquam emancipatum esse et minime jurare in verba magistri;

2) Se ipsum ponere in alterius locum et humani nihil alienum a se putare.

3) In cogitando et agendo sibi ipsum constare.

Primum praeceptum est principium cogitandi libertatis; *alterum*, principium humanitatis; *tertium* denique, principium consequentiae.

95. *Quotuplex est homini composita intelligentiae et rationis natura?*

Triplex est homini composita rationis et intelligentiae natura: 1) sunt qui per se intelligant et ad summam rationis et intelligentiae cognitionem perveniant (*αὐτοδίδακτοι*); 2) alii tunc primum, cum illis

fuerit quid praemonstratum; 3) tertii generis denique sunt isti tardi hebetesque homines, qui ne admoniti quidem demonstratum percipiunt.

96 *An etiam intelligentiae facultatem metiri possumus?*

Magnam intelligentiae vim metiri possumus *ambitu* et *potestate*, sive extensive et intensive. Cujus cognitio historica quam latissime patet in diversis artibus ac disciplinis, is recte dicitur *polyhistor.* Alterius generis cognitio non quidem latissime patet, sed interiori eminet praestantia, accurata imprimis et parata eruditione, et ordine systematico.

97. *Ingenium quid est?*

Ingenium est ea facultas inventrix, quae cognitione magis intuitiva quam discursiva subito movetur ad ejusmodo res novas inveniendas, quae, ut exemplaria rerum, imitatione dignae sunt, totum quoddam efficiunt et nativa quadam individui indole praestant.

98. *Quibus igitur notis declarantur ingenii opera?*

Ingenii opera cernuntur

1) novitate quadam nativa;

2) totum quoddam organicum aut harmonicum efficiunt;

3) propriam auctoris indolem referunt;

4) exemplaria sunt.

99. *Ingenia quomodo distinguuntur?*

Ingenia distinguuntur in *theoretica*, *aesthetica* et *practica* (§. 60).

Cap. II.

De universalibus cogitandi legibus et de vero.

100. *Quotuplicis generis sunt cogitandi leges?*

Cogitandi leges sunt *universales* aut *particulares*. Hae quidem spectant ad singula cogitationis elementa, ad praecepta de notionibus, de judiciis, de syllogismis. Sed universales dicuntur leges, quibus subjectum est universum cogitandi munus, atque definitur cogitandi forma sive modus.

101. *Quaenam sunt istae leges?*

Universales cogitandi leges quinque celebrantur numero:

1) *Principium positionis*, sive determinationis necessariae;

2) *principium aequipollentiae* (identitatis);

3) *principium repugnantiae;*

4) *principium exclusionis;*

5) *principium rationis sufficientis.*

102. *Quid est principium positionis?*

Principio *positionis* quaecunque res ab aliis discerni potest per notas proprias aut determinatas. Hoc principio enim intelligitur necessaria cogitandi lex, qua cuivis objecto tribuimus aliquod praedicatum, plures notas, aut objecti determinationes.

103. *Notae rerum quomodo distinguuntur?*

Notae rerum distinguuntur

1) in *internas* et *externas;*

2) in *affirmantes* et *negantes;*

3) in *constantes* et *mutabiles;*

4) in *proprias* et *communes.*

104. *Quid est principium* aequipollentiae *s.* identitatis?

Secundum hoc principium ratio rei objectae omnibus numeris convenit cum ejus praedicatis conjunctis. Latiore sensu hoc idem explicarunt FICHTIUS, SCHELLINGIUS, HEGELIUS (§. 64).

105. *Quid est principium* repugnantiae?

Principium *repugnantiae* ita enunciatur: ut cogitari nequeat, quod sibi ipsum repugnet (§. 65).

106. *Quid est principium* exclusionis?

Haec lex dicitur *principium exclusi medii* aut *tertii* inter duo repugnantia. Ejus formula haec est: *τὸ A* est aut *τὸ A*, aut aliquid, quod ei repugnat. (§. 67).

107. *Quid est principium* rationis sufficientis?

Principium *rationis sufficientis* in eo positum est, ut quaevis cogitatio superstruenda sit ratione certa aut probabili, neque quidquam admittendum sine causa aut ratione (§. 66).

108. *De vero quid statuunt Dogmatici affirmantes?*

Dogmatici affirmantes verum et esse et percipi posse contendunt, sed suo quisque modo.

109. *Quid Dogmatici negantes?*

Dogmatici negantes, visis et erroribus ducti, nihil esse quod nosci, percipi, comprehendi possit, contendunt.

110. *Sceptici quid voluerunt?*

Sceptici nihil affirmant aut negant, sed judicium cohibent.

111. *Quid Academici?*

Academicis proprium fuit, judicium suum nullum interponere; sed ea probare, quae simillima veri viderentur.

112. *Quotuplex est veri genus?*

Veri *genus* est *triplex*, secundum triplicem hominis naturam, sensu, intellectu et ratione praeditam: verum sensuum seu *physicum* (*empiricum*); verum cogitationis seu *logicum*; et verum *rationis*, quod esse potest aut *metaphysicum* aut *morale*.

113. *Quid est veritas* sensuum?

Veritas sensuum est convenientia perceptionum nostrarum cum rebus sensu perceptis.

114. *Quid est veritas* logica?

Veritas logica est convenientia cogitationum nostrarum cum legibus cogitandi, aut convenientia argumenti cum ejus notione. Hoc sensu loqui solemus de amico *vero*; de artificio, v. c. picturae, statuariae, *vero*.

115. *Quid est veritas rationis* metaphysica?

Veritas metaphysica est convenientia cognitionis cum postulatis rationis ideis, aut cum legibus cognoscendi.

116. *Quid est* veritas moralis?

Veritas moralis est convenientia sermonis et actionis cum animi sententia; cujus contrarium est mendacium.

117. *Quid est* error?

Error est adsensus falso datus, aut vero denegatus.

118. Error *quomodo committi potest?*

Error committi potest vel in *principiis*, vel in *conclusionibus*.

119. *Quando erramus* in principiis?

Errare dicimur *in principiis*,

1) si notione utimur falsa;

2) si falsam adhibemus assumtionem;

3) si confuse percepta sensuum visa habentur eadem, et diversa pro iisdem;

4) si, memoriae lapsu, rei quondam bene perceptae non recte recordamur.

120. *Quando erramus* in conclusionibus?

In conclusionibus errare dicimur argumentando vel ex principiis falsis, vel falsa syllogismorum formâ.

121. *In veri indagatione quid potissimum vitandum?*

In veri indagatione *tria* potissimum sunt vitanda: *primum*, ne incognita pro cognitis habeamus; *alterum*, ne nimiam operam conferamus in res obscuras easque non necessarias; *tertium*, ne verum relativum habeamus pro vero absoluto (§. 86).

122. *Quaenam sunt notae veri* universales?

Tres sunt notae veri *universales:* principia rationis; consequentiae intellectus; et experientia universalis.

123. *Quomodo* recentiores *distribuunt notas veri?*

Recentiore tempore distribuuntur *notae* veri in notas *formales* et *materiales:* quarum hae referunt ipsam cognitionis materiam, proprie non pertinentem ad disciplinam Logicam; illae vero cogitandi vel cognoscendi modum legesque (§. 69).

SECTIO II.

Cap. I.

De repraesentione, de notione atque de idea.

124. *Quid est* repraesentatio?

Repraesentatione quaevis intelligitur rei perceptio: nam universe id nobis repraesentamus sive ante mentis oculos ponimus, quod in sensum, in cupiditatem, in voluntatem cadit, et cujus nobis conscii sumus.

125. *Quibus partibus constat* repraesentatio?

Constat *repraesentatio* 1) argumento quodam sive *objecto*, materia corporea aut incorporea, veluti perceptio doloris, desiderii, pulcri, justi, caet. 2) particulari quadam *affectione* (*conditione* nostra *subjectiva*). 3) In repraesentatione res est *aut materia* sensilis, sed *forma* modus cogitandi; *aut*, contra, est *materia* cogitatio quaedam, sed *forma* sensilis. (Conf. Hegels *Encyclopaedie der Philos. Wissenschaften. Berlin* 1840. S. 43).

126. *Quotuplex est repraesentationis genus?*

Ex *triplici* hominis naturâ *triplex* oritur repraesentationis genus, repraesentatio *sensus*, *intellectus* et *rationis*.

127. *Quid est repraesentatio intellectus et rationis?*

Utriusque repraesentatio est notio, sive intelligentia rei inchoata, adumbrata, adaequata (Quaest. 14).

128. *Quaenam sunt cujusvis notionis momenta praecipua?*

Quaevis notio *tribus* constat momentis praecipuis: 1) genere *universali*, ad quod pertinet notionis objectum; 2) formâ *particulari*, sive qualitate specificâ; 3) *singulari*, sive modo concreto. Accedat ejus contemplatio *objectiva* et *subjectiva*.

129. *Notiones quomodo distinguuntur?*

Distinguuntur notiones

1) in sensus *intelligentiae* et *rationis*.

2) in notionem *subjectivam* sive *formalem*, *objectivam*, et *absolutam* sive *idealem* (HEGEL l. c. S. 318 ff.)

130. *Quid est notio* empirica?

Notio *empirica* est ejusmodi repraesentatio intellectus, quae proficiscitur directe a rei impulsione in sensum; veluti notio patris.

131. *Quid est notio* intelligentiae?

Notio *intelligentiae* est mentis cogitantis actio, quâ res concreta cogitatur ratione abstractâ et universali; veluti notio causae aut effectus.

132. *Quid est notio* rationis?

Est intelligentia sensus, sive perceptionis, quae

ex ipsa ratione oritur, ut notio honesti, aequi, legis, mundi moralis, libertatis, religionis caet.

133. *Quid est* idea?

Notio rationis, quae constat perfecta rei forma, dicitur *idea*, sive species rei omnibus numeris absolutae; ut idea hominis perfecti, idea veri, boni, pulchri, sancti caet. (§. 70).

134. *De fonte notionum quid quaerendum?*

De fonte notionum *duplex* quaestio poni potest: 1) utrum omnes notiones a sensu corporeo originem ducant; an vero quaedam proficiscantur a sola intelligentia et ratione; 2) quodsi hoc concedatur, aliquid sensu prius esse, quod jam ante rei adventum in animo lateat, nobisque innatum sit; quaeritur, *quid* tandem illud sit nobis *innatum*.

135. *An igitur nobis insunt ideae aut notiones innatae?*

Missa investigatione quaestionis historica, de qua conferatur §. 71; respondemus ad quaestionem de *ideis innatis*:

In ipsis infantibus nulla cerni idearum innatarum vestigia; sed solam cognoscendi facultatem, quae ad agendum impellatur a rerum impulsionibus atque excolatur sensuum usu. Caeterum notionum generatio naturalis, sive ἐννοιογονία naturae, egregie exposita est a D. Wijttenbachio V. Cl. (Conf. ejus *Bibliotheca Critica*, P. XI. p. 42 sqq.).

136. *Quomodo agit* intelligentia *in rebus cognoscendis?*

Intelligentia, a rebus internis atque externis im-

pulsa, *duplici* agit modo: *primum* rerum repraesentationes animo acceptas animadvertit; *deinde* ab hisce animadversis et collatis impellitur ad notiones sibi formandas, ad rerum plurimarum intelligentias, easque conferendas et conjungendas, quibus prima quaedam admodum rudis et inchoata efficitur cognitio.

137. *Quomodo mens progreditur in hac inchoata et adumbrata cognitione elaboranda et perficienda?*

1) Cognitionis materiam a sensibus externis profectam *propria facultate* vertit mens ac digerit, atque ita accommodat innatis percipiendi, cogitandi et cognoscendi legibus, ut inde efficiantur perceptio, notio, idea, cognitio, theoria.

2) Sed cognitionis materia a sensu interno desumta est prima atque inchoata patefactio mentis in conscientia sui, cum ipsa mente innata.

3) Haec autem cognitio, ex ipso homine profecta, etsi sensuum usu evoluta et exculta, dicitur cognitio *a priori*, cujus notae universales sunt: evidentia, necessitas, universitas.

4) Elaboratio et explicatio notionis ab HEGELIO dicitur ejus *motus*, *progressio* atque *exitus*, cujus ope explicatur et evolvitur notio ex sua indole nativa et progreditur e forma *subjectiva* ad *objectivam* et *idealem*. Hi notionum *motus* ac *processus* PLATONI, CARTESIO, aliis ante mentis oculos versati fuisse videntur in illorum sententiis de *ideis aeternis* et *innatis*. (HEGEL's *Encycl.* 1840. S. 318 ff.).

138. *Quotuplex igitur est cognoscendi facultas?*

Triplex est cognoscendi facultas, *sensualis*, *intellectualis*, *rationalis*.

1) Ad *sensum* pertinent omnes cognoscendi et percipiendi modi, qui dicuntur visa, intuitiones, perceptiones primariae, sive universales intuendi et percipiendi conditiones.

2) *Alterum* genus cognitionis primariae constituunt universales intelligentiae leges ac determinationes sive categoriae, *notiones* intelligentiae *primitivae* (*stambegrippen*, *oorspronkelijke denkvormen*), veluti notio unitatis, multitudinis, totius, realitatis, negationis, limitationis caet.

3) *Tertium* denique cognitionis primitivae genus efficiunt notiones atque ideae rationis, ut notio absoluti, idea veri, boni, pulchri caet. (§. 72).

139. *Quid in hoc triplici cognitionis genere imprimis animadvertendum?*

Primum illud genus, quod ad sensum pertinet, spatii temporisque formis est adstrictum; *alterum* genus soli tempori; *tertium* denique omnes spatii ac temporis formas migrat et *aeterni* modo cogitandum.

140. Notiones *primitivae quomodo distinguuntur?*

Notiones cum numero sint infinitae et genere ac potestate admodum diversae, jam antiquo aevo nonnulli fuerunt philosophi, qui notiones complexas ad simplices et simplicissimas ad sua quasque genera referre vellent; veluti Alcmaeo, Archytas, Aristoteles, Apollodorus, alii (§. 72). Omnium facile princeps in hac re investigandâ fuit Kantius, qui duodecim categorias statuit.

141. Categoriae *Kantianae quomodo facile intelliguntur?*

Categoriarum origo et distributio facile intelliguntur, quodsi perpendamus, omnes res considerari posse, vel *per se* ab aliis sejunctas, vel *ad alias relatas*. Jam vero si aliqua res spectetur *singillatim*, nulli alii contemplandi formae locus est, nisi huic duplici, *quantitatis* et *qualitatis*.

Sin autem *cum alia re conferatur* res aliqua, haec comparatio esse potest *aut* collatio duarum *rerum* vel notionum inter se, *aut rem* inter et *hominem* sentientem, cogitantem, cupientem. Ex ratione comparandi *priore* oritur modus, quem KANTIUS simpliciter dixit *relationem;* sed ex *posteriori*, nimirum ad modum cogitandi ac cognoscendi quod adtinet (nam illum sentiendi et adpetendi hoc loco mittimus), particularis quaedam existit ratio, quam ipse appellavit *modalitatem*. E diversis porro judiciorum notis statuit, cum singulis harum notarum *terna* subjicerentur praedicamenta, facile intelligi, non plura esse posse quam duodecim cogitandi praedicamenta, quibus universa intellectus forma contineatur.

Quadruplici igitur enunciationum affectioni, tamquam generibus, hasce subjecit formas:

QUANTITATI *unitatem*, *multitudinem*, *omnitudinem;*

QUALITATI *realitatem*, *negationem*, *limitationem;*

RELATIONI *substantiam* et *accidens*, *causam* et *effectum*, *communionem*, i. e. reciprocationem inter agens et patiens,

MODALITATI *possibilitatem* et *impossibilitatem*, *esse* et *non esse*, *necessitatem* et *contingentiam*.

Hae notiones KANTIO sunt antiquissimae, quasi seminales conceptus intellectus puri, tamquam formae cogitandi.

FICHTIUS, SCHELLINGIUS, HEGELIUS quid praestiterint in hisce categoriis explicandis et dijudicandis; exponitur. §. 72.

142. Quantitas *notionis quomodo distinguitur?*

1) *Quantitas* cum sit *intensiva* aut *extensiva*, notio spectari potest *vel* secundum ejus vim et *intensionem*, *vel* secundum ejus latitudinem aut *extensionem*.

2) *Quantitas* notionis *interna* est magnitudo ejus *argumenti*, sive summa notarum, quibus constat. Sed quantitas ejus *externa* continetur *copia* et *numero* omnium individuorum, quae notioni sunt subjecta.

143. *Quaenam intercedit ratio intensionem inter et extensionem notionis?*

Inter notionem *intensivam* et *extensivam* intercedit ratio inversa: nam quo major est ejus summa notarum, eo minor est ejus ambitus; sed quo latius patet aliqua notio, eo minor est ejus notarum summa. Notio v. c. corporis coelestis complectitur notiones stellae fixae, solis, planetae, lunae, cometae. Genera itaque et formae minimam habent intensionem, maximam extensionem; Individua contra maximam habent intensionem, minimam extensionem.

144. *Notio quomodo distinguitur secundum suam* intensionem *et* extensionem?

Secundum *intensionem* suam distinguitur notio in *simplicem* et *compositam*; secundum vero suam *extensionem* in *universalem*, quae totum genus continet, in *particularem*, quae formam refert, et in *singularem*, qua unum quid concretum, generi ac formae subjectum, idque determinatum quid reale cogitatur (§. 74).

145. *Quomodo mens pervenit ad universales notiones sibi informandas?*

1) *Universalia* formantur ex particularibus modo triplici: *comparatione*, *abstractione*, *compositione*.

2) *Comparatione* cernitur, quibus notis inter se differant, aut conveniant duae, pluresve res singulares.

3) *Abstractione* ab iis notis, quibus differunt inter se, animus avocatur, ad easque modo intenditur, quae pluribus rebus sunt communes.

4) *Compositione* ex notarum similium conjunctione existunt formae, genera.

6) Notas sejunctas iterum conjungendo regreditur mens ab universalibus ad particularia, ab hisce ad individua sive singularia.

146. *De notionum universalium et abstractarum utilitate quid judicandum?*

De *notionibus universalibus et abstractis* nobis caveamus ne iniquum feramus judicium; nam

1) Eo praecipue cernitur hominis praestantia, quod abstracta et universalia cogitare potest.

2) Hac facultate cogitandi universalia et abstracta omnes nituntur artes ac disciplinae, tam empiricae, quam rationales.

3) Sed dialectici, scholastici, imprimis *nominales* et *reales*, abusi sunt notionibus universalibus atque abstractis.

4) Quoniam denique in singulis hominibus facultatis abstrahendi limites designari nequeunt, caute adhibeantur notiones abstractae et universales, atque illustrentur, quantum hoc fieri possit, rebus concretis, exemplis, allegoriis, praecique in juventutis populique institutione (§. 75).

147. *Quid docet Logica de repraesentationis perspicuitate?*

Ratione perspicuitatis, *duplicis* generis sunt nostrae rerum repraesentationes, vel *clarae*, vel *obscurae*. *Prorsus obscura* est, quando rem repraesentatam neque ab aliis, neque a nobismet ipsi distinguere possumus. *Clarissima* dicitur, quae ab omnibus aliis accurate distinguitur.

148. Exponatur locus de *repraesentatione obscurâ?*

1. Magna nobis inest copia notitiarum, quarum, paucas vix tribus plures notiones mens simul instaurare et ad lucis claritatem revocare potest.

2. Ejusmodi obscurarum notionum ac repraesentationum *duplex* est genus; *alterum* earum, quae neque percipi neque instaurari ita possunt, ut perspicuitatem accipiant. *Alterum* genus eas complecti,

tur repraesentationes obcuras, quae memoriâ revocari quidem possunt; sed, quum in aliis rebus mentem figamus, quasi in umbram recedunt. Hoc genus patet latissime.

3. Transitus ad cogitationes novas ducit mentem per notiones *associatas*, easque plerumque *obscuras*. Quo fit, ut tota hominis vita consumatur istiusmodi notionum clararum et obscurarum vicissitudine.

4. Quando vim animadvertimus et intensionem, qua *revocantur* gradatim notiones obscurae ad lucis claritatem; qua *deinceps* notiones clarae ante mentis oculos per aliquod tempus positae sunt, summam acquirunt *ἐναργείαν*, tum vero claritate decrescere incipiunt, evanescunt tandem et ad pristinum redeunt notionum obscurarum statum; quoddam in mente cernitur notionum aequilibrium et pugna, qua claritate aliae victrices vigent notiones, aliae quasi victae tandem et sublatae evanescere videntur. Neque valet hoc tantum modo de notionibus inchoatis et adumbratis, sed in universum de omnibus animi actionibus, motibus, perturbationibus, ut aequilibrium tueri vel instaurare nitantur.

Qua re animadversa, J. F. HERBARTIUS V. Cl. eo ducebatur, ut leges *staticas* atque *mechanicas* ad haec omnia adhibendas esse putaret, eaque primum ipse ad calculi mathematici rationem reducere conaretur (§ 77).

5. Magni momenti est psychologica notionum obscurarum investigatio: *primum* enim earum ignorantia superstitioni, mysticismo, fanaticismo favet maxi-

me; *deinde* cupiditates sollicitant vehementer, hominem movent, desideria alunt, animi angores motusque, qui spectant maxime virtutem et vitae tranquillitatem; *denique* mirifice placent notiones obscurae propter earum vim et efficaciam (poëticam saepe et mysticam) in universam sentiendi rationem, quum contra, quo clariores fiunt notiones, eo minor plerumque esse solet ipsarum potestas in animi motus.

149. *Quomodo distinguuntur* notiones *clarae?*

Notiones clarae distinguuntur in *distinctas* et *confusas;* in *claro-distinctas* et *claro confusas.* (§. 73).

150. *Notio claro-distincta quomodo dividitur?*

Notio *claro-distincta* esse potest *perfecta* aut *imperfecta; completa* aut *incompleta; adumbrata* aut *adaequata.* (§. 78).

151. *Quid imprimis requiritur ad notiones claro-distinctas adquirendas?*

1) Nobis caveamus, ne multas res aut rei notas simul contemplemur; nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

2) Res contemplanda in suas quaeque notas aut partes dissolvatur primarias, deinde in singularum notarum notas, donec pervenias ad notas simplices.

3) In quacunque re distinguantur accurate diversa notarum genera; imprimis notae internae et externae, affirmantes et negantes, constantes atque mutabiles.

4) A re observanda ne avocetur mens animi motu,

perturbatione aut opinione praejudicata.

5) Res exploranda in omnes partes versetur et diverso modo spectetur.

6) Cujusvis rei objectae animadvertatur imprimis positio, negatio et synthetica utriusque conjunctio. (§. 78).

152. *Ratione argumenti quomodo distinguuntur notiones?*

Ratione *argumenti* distinguuntur notiones; 1) in *congruentes* et *discrepantes*; 2) *secundum earum essentiam ac modum.*

153. *Ratione ambitus sive* latitudinis *quomodo distinguuntur notiones?*

Latitudine distinguuntur in *coordinatas* et *subordinatas.* (§. 79).

154. *Quid adimadvertendum de notionibus congruentibus?*

1) Notiones congruunt *absolute* aut *relative.*

2) *Absolute*, sive *latitudine* et *argumento*, congruentes dicuntur notiones *aequipollentes* (*identicae*).

3) Notionum *relative* congruentium genus est *duplex:* notiones *compossibiles* et *connexae.*

4) *Connexae* distinguuntur in *reciprocas* et *subalternas.* (§. 80).

155. *Quid animadvertendum de notionibus* discrepantibus?

1) Notiones *discrepantes* sunt *contradictoriae*, aut *contrariae.*

2) *Contradictoriae* sunt notiones absolute oppositae.

3) Ad hoc genus pertinent notiones *negantes*, quae patent late.

4) *Contrariae* sunt notiones, quas inter aliud quid interjectum esse potest.

5) *Subcontrariae* dicuntur, quae secundum quid aut quadam ratione differunt. (§. 81).

Cap. II.

De judicio et de enuntiatione.

156. Judicium *verbis expressum quomodo appellatur?*

Judicium verbis expressum dicitur *enunciatio.*

157. *Quaenam sunt* partes *judicii?*

Partes judicii sunt *tres: subjectum, praedicatum* et *copula;* subjectum et praedicatum constituunt *materiam* judicii, *formam* ejus copula efficit.

158. Materiâ *judicii quaenam continentur?*

Materiâ judicii continentur visa, notiones, ideae, judicia.

159. Forma *judicii quomodo dividitur?*

Formam judicii diversa ratione dividunt Stoici, Peripatetici, alii. (§. 82).

163. Kantius *quomodo judicia divisit?*

Kantius judicia divisit

1. Quantitate, in *singularia*, *particularia* et *universalia;*

2. QUALITATE, in *affirmantia*, *negantia*, *limitantia ;*

3. RELATIONE, in *categorica*, *hypothetica*, *disjuncta ;*

4. MODALITATE, in *problematica*, *assertoria* et *necessaria*. (§. 33—35). De quantitatis et qualitatis judicii conjunctione; de forma judicii contradictoria et subcontraria; de pariatione judicii et conversione conf. §. 33—35.

161. *Quid est judicium* analyticum *et* syntheticum?

Judicium *analyticum* est, cujus praedicato nihil quidquam enunciatur nisi id, quod subjecto sit involutum. Sed judicium KANTIUS dixit *syntheticum*, cujus praedicato contineatur, quod subjecto non inest. Quanti momenti sit haec judiciorum distinctio, expositum est §. 36. Quid vero de universa *Kantiana* judiciorum distributione disputatum sit, explicatur §. 37.

162. *Quaenam est veterum Dialectorum distributio enunciationis?*

Peripatetici enunciationem diviserunt ratione *formae* et *materiae*. Secundum *materiam* spectarunt

1) ejus internam proprietatem;

2) ejus proprietatem externam;

3) enunciationis evidentiam atque usum in disciplinis. §. 88.

163. *Quaenam sunt diversae enuntiationis formae?*

Enunciatio dicitur *theoretica* aut *practica*. Utriusque generis diversae sunt *formae*, quae appellantur

theorema, *problema*, *hypothesis*, *lemma*, *postulatum*, *consectarium*, *scholium*, *porisma*. De singulis vid. §. 89.

164. *Quamnam judicii explicandi rationem induxit* Hegelius?

1) Hegelio judicium est notionis secretio in particularia, qua distinguatur ejus momentorum particularium relatio ad totam notionem.

2) Hinc concludit:

a) Quodvis judicium *unam* modo esse subjecti significandi *rationem*, ideoque *non omnibus* numeris verum;

b) judicium non esse, nisi rationem rei contemplandae *finitam*.

3) Judicia distribuit in judicia *existentiae*, *reflexionis* et *necessitudinis*. §. 90.

165. *Quid est judicium* aestheticum?

Hoc nomine Kantius illud intellexit judicium, cujus ratio determinans posita est non modo in notione, sed etiam in sensu idearum interno. §. 91.

Cap. III.

De syllogismo sive de argumentatione.

166. *Quid est* argumentatio?

Argumentatio est *subjective* ea mentis cogitantis actio, qua conclusio efficitur ex aliquo notionis aut

judicii genere, ad rem aliquam probandam aut demonstrandam.

Objective: argumentatio est ipsa haec conclusio; quae verbis expressa appellatur *syllogismus.*

167. *Unde* nomen *syllogismi?*

Nomen syllogismi desumtum est a verbo συλλογίζεσθαι, *computare, colligere;* e duobus enim praemissis summa colligitur sive tertium quid, argumentatione et quasi computatione.

168. Stoïci *quomodo syllogismum definiebant?*

Stoïcis syllogismus erat σύστημα ἐκ λημμάτων καὶ ἐπιφορᾶς, *compositum quid ex sumtis et conclusione.* Enunciata, quibus efficitur conclusio, dicebant λήμματα, *sumta, concessa.* Primam enim enunciationem vocabant peculiariter λῆμμα, *propositionem;* secundam πρόληψιν, *assumtionem;* tertiam ἐπιφοράν, *conclusionem.*

Quomodo argumentandi ratione differant Oratores et Logici, explicatur § 92.

169. *Quaenam sunt syllogismi partes?*

1) Syllogismus *tribus* constat judiciis, quorum duo priora appellantur *praemissa*, tertium vero *conclusio.*

2) Subjectum conclusionis dicitur *terminus minor*, (assumtio); praedicatum *terminus major* (propositio); qui communi nomine appellantur *termini extremi: medius terminus* vocatur judicium, quo duo reliqua consentiunt aut dissentiunt.

170. Hegelius *quomodo syllogismum definivit?*

Hegelius syllogismum dixit 1) unitatem notionis atque

judicii; quae definitio consentit mirifice cum illa Stoicorum. De vi et potestate termini medii, de quintuplici syllogismorum distributione secundum Peripateticos conf. §. 93. 2) In universum syllogismum considevit Hegelius, ut eam rerum formam determinatam, qua *particulare* medium locum tenet semper inter terminos extremos (*Encyclop.* S. 50). Cui legi omnes res adspectabiles, neque tantum cogitationes nostrae ipsi adstrictae videntur in rerum Universitate. Omnes, inquit, res sunt particulares, quae genere aut formâ universali cohaerent cum singulis concretis.

171. Fundamento *syllogismi quid intelligitur?*

Fundamentum syllogismi est principium, quo nititur connexio praemissarum cum conclusione; quod nihil aliud est nisi dictum illud *de omni et nullo*, sive decretum: *Quod affirmandum aut negandum est de genere, id quoque affirmandum est aut negandum de formis et individuis.* Quomodo hujus simplicis fundamenti sex partes enunciaverint nonnulli, exponitur §. 93.

172. *Quaenam sunt* leges *syllogismi universales?*

Leges bonae argumentationis hisce continentur *praeceptis:*

1) *Tres* sint termini in syllogismo.

2) Ne sit plus minusve in conclusione, quam in praemissis.

3) Terminus medius ne inferatur in conclusionem, neque totus neque ex parte.

4) Terminus medius sit saltem semel universaliter in praemissis, non bis particulariter.

5) Ad conclusionem negantem requiritur propositio universalis.

6) Ex praemissis mere negantibus nihil confici potest.

7) Conclusio sequatur partem debiliorem.

De veterum distributione syllogismi apud Stoicos et Peripateticos; nec non de syllogismorum *figuris* et *modis* recte dijudicandis, leg. §. 95 et 96.

Locus de *reductione syllogismorum* exponitur §. 97.

173. *Syllogismi quomodo distribuuntur?*

Peripateticorum et recentiorum distributio syllogismi exposita est §. 98: nos syllogismos dividemus in *simplices* et *compositos*; simplices vero in syllogismos *categoricos*, *hypotheticos*, *disjunctos* vel *conjunctos*. De singulorum ratione et legibus vid. §. 99—101.

174. *Quid est* dilemma?

Dilemma est syllogismus, cujus propositio est hypothetica et disjuncta Ad hoc genus pertinent *trilemma*, *pentalemma*. § 102

175. *Quid observandum in* dilemmatica *argumentandi ratione?*

Dilemmatica argumentatio quum facile in sophisticam abire possit, magnam ea cautionem requirit et his imprimis praeceptis adstringatur:

1) Consequentia et necessitudinis vinculum adsit disjunctas inter propositionis partes;

2) Partium disjunctio in propositione sit accurata, completa, opposita;

3) In assumtione ne admittantur disjuncta;

4) Oppositiones intelligentiae quum cadere non possint in ideas rationis absolutas, sed in ipsa ratione coalescant; cavendum, ne dilemmaticam argumentationem ad hasce ideas adhibeamus. §. 101.

176. *Quid est* Enthymema?

Enthymema est syllogismus truncatus, cujus una vel duae enunciationes diserte significantur, reliquae desiderantur et animo inclusae (ἐν θυμῷ) manent. Sunt enthymemata *duplicis* generis (§. 102).

177. *Exponatur locus de* syllogismo composito?

1) *Syllogismus* e pluribus ita *compositus*, ut ejus partes simplices sibi invicem sint subordinatae, minime vero coördinatae, sed necessitudinis vinculo conjunctae, *seriem* efficit argumentationum atque dicitur ratiocinatio *polysyllogistica*.

2) In ejusmodi argumentationum serie concludi potest aut *analytice* sive regressu, aut *synthetice* sive progressu. Hinc nomina *prosyllogismi* et *episyllogismi*. §. 103.

178. *Quid est* Epichirema?

Epichirema (ἐπιχείρημα, a verbo ἐπιχειρέω, *manum admoveo*, *argumentis adstruere conor*) est syllogismus argumentis adstrictus, et tamquam transitus ex contracta in dilatam eloquentiam. Esse potest generis *categorici*, *hypothetici* et *disjuncti*, quorum exempla referuntur §. 104.

179. *Quid est* Sorites?

Sorites (*kettingrede*), a graeca voce σωρὸς, quae *acervum* significat, Ciceroni dicitur *acervalis* (*stapelrede*), sive acervus enunciationum ita connexarum, ut praedicatum antecedentis sit subjectum praemissae sequentis, donec ex subjecto primae et praedicato ultimae praemissae efficiatur conclusio. Diversae sunt ejus formae, quarum nomina et exempla continentur §. 105.

180. *Exponatar locus de* syllogismo fallaci?

1) *Fallacia* syllogismi esse potest aut in ejus *formâ*, aut in *materia*, aut in *utraque*.

2) Haec fallacia quando ipsum fugit auctorem, dicitur *paralogismus*, sive simpliciter falsa argumentatio.

3) Syllogismus *fallax*, decipiendi causâ propositus, atque ita arte involutus ut ejus fallacia non statim in oculos incurrat, dicitur *sophisma*, inventum callidum, captio, cavillatio (σόφισμα, a σοφίζεσθαι, *cavillari*).

181. *Quaenam sunt diversa sophismatum genera?*

Sophismatum diversa distinguuntur genera, quorum *primum* quidem, idque maxime frequentatum constituunt sophismata *homonymiae*, *amphiboliae*, sive *ambiguitatis*. Hoc genus *quatuor* constat terminis et proinde fallax est. Sunt autem *tres* formae huic generi subjectae:

1) *Fallacia figurae dictionis.*

2) *Fallacia quae oritur ex ficta quadam universitate;* qua concluditur a parte ad totum, aut a

nonnullis partibus sive formis ad genus, aut ex imperfecta partium inductione.

3) Tertium sophismatum genus sunt *fallaciae falsi medii*, quibus inest species veri, sed ratio conclusionis minime vera. Huc pertinent

a) *Fallacia consequentiae ;*

b) *Sophisma pigrum*, sive *ignava ratio ;*

c) *Sophisma plurium interrogantium ;*

d) *Sophisma alienae quaestionis ;*

e) *Sophisma quaesiti*, sive *petitio principii.* §. 106.

182. *Quaenam sunt* inexplicabilis *sophismata generis ?*

Inexplicabili sophismatum genere, quod Graeci ἄπορον vocant, illi continentur gryphi perplexi et flexuosi, quibus se veteres Dialectici disputando ita implicabant, ut nulla prorsus exeundi via illis patere videretur. Ad hoc genus pertinebant

1) *Ψευδόμενος*, *mentiens*;

2) *Διαλανθάνων*, *occultus* sive *fallens*;

3) *Ἠλέκτρα*, *Electra*;

4) *Ἐγκεκαλυμμένος*, *velatus*;

5) *Σωρίτης*, *acervalis*;

6) *Κερατήνη*, *cornutus*;

7) *Φαλακρὸς*, *calvus.*

8) Ad sophismata denique pertinent rationes, quibus Zeno Eleates, Diodorus Cronus, alii motum ex natura tollere voluerunt, aut ostendere, nihil esse, quod comprehendi, explicari aut cum aliis communicari possit. §. 107.

PARS SECUNDA.

DE METHODO.

SECTIO I.

DE METHODO IN UNIVERSUM.

Cap. 1.

DE METHODI NATURA, VI ET RATIONE.

183. *Quid est* Methodologia *Logices*, *quod ejus officium?*

1) *Methodologia* logica dicitur ratio, qua componendae sunt ejus notiones, enunciationes, argumentationes.

2) Ejus *officium* est, ut exponantur

a) natura, genera, finis ac praecepta methodi universalis;

b) methodi logicae *partes*, quae sunt *definitiones*, *divisiones*, *demonstrationes*.

184. Methodus *quid est?*

Methodus (μεθοδὸς, quasi *via quam sequimur*) in

universum est ordo, sive *naturalis*, sive doctrinae *artis*ve, secundum principia aliquid agendi. Methodus igitur logica est ratio, qua apte conjungendae sunt ac disponendae cogitationes nostrae; omnino diversa ab artificis *dexteritate* mechanica et *modo* (*manier*) aesthetico. §. 109.

185. *Quo spectat Methodus logica.*

Finis methodi logicae hic est, ut recte cogitando ipsa perficiatur cognitio ratione systematica. §. 110.

186. *Quare multis displicet systematica doctrinarum ratio et cognitio?*

Permultis odiosa sunt omnia systematis nomina, omnesque doctrinarum formae:

1) Quia, labefactatis principiis, ipsa corruunt systemata;

2) Quod haec illis ingenii vincula omnisque doctrinae elegantioris impedimenta esse videntur;

3) Modesto denique philosophiae nomini omnis repugnare videtur doctrinae systematicae aut scientiae ratio.

Contra has reprehensiones quid dicendum, exponitur §. 111.

187. *Quid requiritur ad perfectam rerum cognitionem?*

1) *Quantitate extensiva* cognitio sit maxime universalis;

2) *Quantitate intensiva* eo perfectior erit cognitio, quo majoris sit ponderis, quoque arctius conjuncta cum rationis ideis;

3) *Qualitate* perfecta est cognitio, quae est clara, distincta, accurata et prompta;

4) *Relatione* cognitio est eo perfectior, quo propius abest a *vero absoluto;*

5) *Modalitate* denique ea sit realis, necessaria, apodictica. §. 1 2.

CAP. II.

DE COGNITIONE CERTA ATQUE INCERTA.

188. *De cognitione* certa *quid animadvertendum?*

1) *Certum* dicitur, quod firmo nititur fundamento.

2) *Fundamentum* certi dicitur id, quo veritas alicujus notionis, judicii, argumentationis aut rei objectae perspicitur directe aut oblique. (§ 5.)

3) *Ratio* veri distinguitur in *objectivam* et *subjectivam*. *Haec* petitur ex hominis naturâ; *illa* vero ex ipsa re cogitationi objecta.

4) *Utraque* veri ratio esse potest *sufficiens* aut *insufficiens*.

5) Perspecta hujus rationis sufficientia id efficit, quod dicitur *adsensus*, i. e. evidentiae sensus cum judicio veri coalescens. Hinc intelligitur, quonam jure in vero dijudicando provocari possit ad veri, boni, pulcri sensum.

6) Adsensus *formae* sunt quatuor: *scientia*, *fides*, *opinio probabilis*, *opinio vana*. De *convictione* et *persuasione* vid. §. 113.

189. Exponatur locus de *scientia.*

1) *Scientia* est intelligentia sive notio rei perspicua, vera, certa (§. 5), rationibus superstructa objective et subjective sufficientibus.

2) Distinguitur scientia in *empiricam* et *rationalem;* in *primariam* (*directam*) et *secundariam* (*obliquam*); in *mathematicam* et *philosopham;* in *materialem* et *formalem.*

3) Baco de Verulamio acute distinxit Dogmaticos et Empiricos. §. 114.

190. *Exponatur locus de fide?*

1) *Fides* est firma animi persuasio, intuitione et argumentorum integritate carens.

2) *Distinguitur* fides tripliciter: in *universalem* et *particularem;* in *propriam* et *historicam;* in *privatam* et *publicam.* §. 115.

191. *De fide* rationali *quid animadvertendum?*

1) Fides *rationalis* esse potest fides *propria* et *universalis;*

2) Quae intercedat scientiam inter et fidem ratio, non satis liquet;

3) Fides rationalis est *subjectiva*, sed postulatur a ratione *objectiva.*

4) Sunt, qui fidem rationalem distinguant in fidem *theoreticam* et *practicam;* hanc vero in fidem *moralem* et *pragmaticam.* De singulis leg. §. 116.

192. *Quid est* fides historica *ejusque genus?*

1) Adsensio hominis aut rei testimonio tributa dicitur *fides historica.*

2) Haec fides esse potest *materialis* aut *formalis.*

193. *Fides* revelata *cujusmodi est?*

Fides, quae dicitur *revelata*, est

1) *historica*, ad materiam et formam quod adtinet;

2) *rationalis*, cujus quippe argumenta finesque cum ratione exculta consentiant maxime. §. 117.

194. Testimonium *quid est, et quotuplicis generis?*

1) *Testimonium* dicitur, quod ab aliis hominibus aut rebus externis ad fidem faciendam desumitur.

2) Hujus generis *diversae* sunt *formae:*

a) narratio, fama, rumor, traditio;

b) edictum coram judicibus;

c) auctoritas monumentorum historica, divina, humana.

195. *Quid tenendum de testimonii auctoritate?*

Spectetur primum *res ipsa*, in qua versatur testimonium; tum vero etiam *testis*.

A. *Res* igitur, testimonio probanda,

1) Debet esse *possibilis;*

2) In *facto* et sensibus posita, neque tantum in argumentatione et intelligentia;

3) Singulae rei partes consentiant inter se;

4) Accommodata sit res relata ad loci, temporis, gentis, hominisque conditionem.

B. Ad *testium* explorationem quod adtinet,

1) Examinetur, utrum testis sit *proximus* an *remotus*.

2) Exploretur ipsius intelligentia, an rem ipse ac-

curate scire et recte edicere potuerit;

3) Inquiratur in ejus voluntatis integritatem;

4) Examinetur testimonii ratio, utrum ea simplex sit, an composita et callide excogitata;

5) Spectetur denique testium numerus, consensus ac dissensus. §. 119.

196. *E testium* silentio *an aliquod argumentum peti potest?*

Nobis caveamus, ne rem a nullo teste confirmatam ideo falsam esse putemus: nam fieri potest, ut aetas posterior in lucem proferat, quae negligentiâ, partium studio, timore, aut alia de causâ *testibus* aut *documentis* non fuerint probata. Sed hujus *silentii causa* reddenda est, si ex eo culpae aut doli suspicio desumi possit. §. 120.

197. *Quaenam sunt antiquorum* monumentorum genera?

Quatuor sunt antiquorum *monumentorum genera:* scriptores antiqui; inscriptiones; nummi; artium opera, ut statuariae, sculpturae, architecturae.

198. *Quid tenendum de* arte critica?

Judicium de antiquorum codicum *auctoritate* et *integritate* multis subjectum est cautionibus, et argumentis nititur *externis* atque *internis;* id quod egregie explicuit WYTTENBACHIUS. §. 121.

199. *Quid est* superstitio *et quotuplicis generis?*

Opinio vana, quae rès confundit naturales cum iis, quae sensu percipi nequeunt, aut fines naturae migrare videntur, dicitur *superstitio*, quae *duplicis* potest esse generis, *naturalis* aut *religiosa.*

200. Credulitate *et* incredulitate *quid intelligendum?*

1) *Credulitas* ei tribuitur, qui credit facile, etiam sine ratione sufficiente; unde oritur *fides coeca.*

2) *Incredulitas* ea est improbabilis cogitandi ratio, qua quis nihil credendum putat, nisi quod *objective* et *subjective* intelligatur. Haec incredulitas esse potest *historica* aut *intellectualis*, atque e diversis oriri fontibus. §. 122.

201. *Quid est opinio?*

1) *Opinatio* est, judicare se scire quod quis nesciat (CIC. *Tusc.* IV. 11).

2) Ad *vanam opinionem* referatur facultas *divinatrix*, sive *praesagiendi* res futuras.

3) Distinguitur opinio in *privatam* et *publicam* §. 123.

202. *Exponatur locus de probabilitate?*

1) Opinio dicitur *probabilis*, quae oppositâ *pluribus* nititur argumentis; sed *dubia*, cujus *paria* sunt argumenta.

2) Probabilitatis genus est duplex, *simplex* et *compositum.*

3) Ratione habita argumentorum numeri et ponderis, distinguitur probabilitas in *mathematicam* atque *dynamicam.*

4) Veteres quid docuerint de probabili et de verisimili, explicatur §. 124.

Cap III.

De diverso methodi genere.

203. *Exponatur diversa methodi distribuendae ratio.*

Pro diverso divisionis fundamento, diversa distingui possunt methodi genera:

Quantitate enim methodus est *universalis* aut *particularis*, *simplex* aut *composita;*

Qualitate *positiva* aut *negativa; analytica* aut *synthetica;*

Relatione ad artes ac disciplinas, methodus esse potest *didactica* aut *architectonica; scholastica* aut *popularis; Socratica* aut *catechetica; aphoristica* aut *fragmentaria; parabolica* aut *directa;* caet.

Modalitate, sive ad modum veri certique investigandi quod adtinet, methodus esse potest *dogmatica*, *sceptica*, *critica*, *eclectica*, *dialectica.*

204. *Quid est methodus* universalis?

Methodus *universalis* est, quae universam complectitur cogitationum connexionem, ordine logico constituendam, secundum bonam rei definitionem, partitionem, argumentationem.

205. *Quid est methodus* particularis?

Methodus *particularis* referri potest *aut* ad singula cogitationis elementa, *aut* ad disciplinas parti-

culares, quibus *triplex* continetur cognitionis genus, *historicum*, *mathematicum*, *philosophum*.

206. *Exponatur locus de methodo* historica?

1) Methodus *historica* explicat alicujus rei, notitiae aut disciplinae natales, fata, vicissitudines per temporum seriem, et cum hominum, qui de ea bene meriti sunt, vitae studiorumque significatione.

2) Hujus methodi lex *prior* est, ne quid falsi dicere audeat historicus; *posterior*, ne quid veri non audeat.

3) Ipsa hujus methodi elaboratio versatur in *rebus* et in *verbis* §. 126.

4) Hujus methodi magna vis est ad animos tironum praeparandos, et provectioribus discipulis viam sternit ad verum inveniendum et dijudicandum.

5) Huc pertinet methodus *allegorica* sive *fabularis*. §. 126.

207. *Exponatur locus de methodo* mathematica?

1) Methodus *mathematica* est *universalis* aut *particularis*. *Haec* est ratio quaedam problemata ejusdem generis solvendi; veluti methodus exhaustionis, coefficientium indeterminatarum, caet. Sed *universalis* est methodus praecepta mathematica, theoremata et problemata ordine disponendi et demonstrandi.

2) Singulae hujus methodi partes ejusque ratio *analytica* et *synthetica* exposita sunt §. 127.

208. *Quotuplicis generis est methodus philosopha?*

Philosophia cum versetur in rebus aut corporeis

aut incorporeis; alia est methodus in *philosophia naturali*, alia in *theoretica*.

209. *Quaenam est bona methodus in* philosophia naturali?

In *philosophia naturali* bona methodus *initium* ducit ab accurata et diligenti naturae observatione (*); *pergit* experimentis prudenter instituendis et adhibendis; versatur *porro* in mathematica, chymica, dynamica naturae investigatione; et *absolvitur* argumentatione logica, ut inde oriatur tandem doctrina (*θεωρία*) experimentalis, cum ideis rationis atque principiis conjuncta.

210. *Quaenam est bona methodus in* theoreticis *philosophiae partibus?*

In *philosophia theoretica* bona methodus debet esse *anthropologica*, quae *incipiat* ab ipso homine cognoscendo, a psychologiae logicesque studio; inde *proficiscatur* ad sensum internum perquirendum, ad conscientiam sui ipsius explorandam; tum *progrediatur* ad principia veri certique investiganda. Quibus detectis atque ex ipsa conscientia sui explicitis, e notionibus atque ideis huic inclusis gravissima eruantur philosophiae theoreticae argumenta ac componantur ordine systematico.

(*) Bei der Erfahrung kommt es darauf an, mit welchem *Sinne* man an die Werklichkeit geht. Ein grosser Sinn macht grosse Erfahrungen, und erblickt in dem bunten Spiel der Erscheinung, in die Natur oder in die Geschichte, worauf es ankömmt; er blickt das *Vernünftige* und spricht es aus. HEGELS *Encycl.* S. 53.

De cautionibus in hac methodo observandis conf. §. 128.

211. *Diversam philosophandi rationem quomodo distinguunt recentiores?*

KANTIO duce, diversam philosophandi rationem distribuunt recentiores in *dogmaticam*, *scepticam*, *criticam*. Singularum indoles atque potestas explicantur §. 130—134.

212. *Exponatur locus de ratione* eclectica?

1) *Eclectica* dicitur philosophandi methodus, quae ex optimis philosophorum placitis optima seligere jubet: appellatur quoque ratio *Alexandrina.*

2) In hac autem ratione desideratur norma selectus et judicii de eo quod optimum sit. §. 36.

213. *De* Syncretistarum *ratione quid judicandum?*

1) *Syncretistae* (a συγκεράννυμι s. συγκεραννύω; *commisceo*) isti dicuntur philosophi, qui conciliatorum partes suscipiunt, et philosophorum dissensum ad consensum redigere student.

2) Hoc autem *triplici* ratione fieri posse videtur: *primo*, si ostenderis, philosophorum dissensum plerumque esse λογομαχίαν; *secundo*, si probaveris, eos, etsi in rebus dissentientes, sibi invicem non repugnare, nisi diversa contemplandi ratione; particularis *denique* conciliandi modus ex altiore petitur fonte, v. c. ex ipso homine, e patefactione divina, e cognitione absoluta.

3) Hujus methodi historia et potestas delineatae sunt §. 136.

214. *Methodi* dialecticae *quaenam sunt* leges *universales?*

Methodi dialecticae *leges* sunt:

1) Ut illud definiamus, de quo quaerendum sit;

2) Ut rei contemplandae notio aperiatur et ab omnibus partibus, iisque oppositis spectetur, secundum intellectus determinationes affirmantes et negantes et utrarumque convenientiam cum ratione absolutâ.

3) Ut res investiganda in suas quaeque partes majores distribuatur; majores deinde in minores, quas item solvamus in minimas.

4) Ne quid in partibus exponendis prius aut latius indagetur, quam postulant ordo naturalis et rei natura.

5) Ut eum sequamur ordinem, quo antecedentia subsequentibus lucem afferre possint.

6) Ut cujusvis investigationis fines, nobis positos aut ponendos, ante oculos teneamus.

7) In demonstrando nihil verum certumque admittamus, quod non firmum aut probatum sit.

8) Auctoritati ne plus tribuatur, quam postulant argumenta historica, linguarum indoles, magnorum virorum exempla, sed imprimis intelligentiae et rationis potestas, justis finibus designata.

9) Ne quid, nondum explicitum, putetur inexplicabile, priusquam perspecta fuerit ratio, quare id explicari nequeat.

10) In quacunque re investiganda rationem habeamus ejus naturae, conditionis et consilii nostri, neque partium studio nos duci patiamur. §. 137.

SECTIO II.

DE METHODI LOGICAE PARTIBUS.

CAP. 1.

DE DEFINITIONE.

215. *Quaenam res definiri nequeunt?*

1) Non definiri possunt individua, sed describi modo;

2) Neque res simplices;

3) Neque corporis aut animi perceptiones;

4) Idem dictum sit de rebus infinitis.

Hinc intelligitur ratio, quare distinguant recentiores rerum *distinctionem* (onderscheiding), *descriptionem* (beschrijving), *collocationem* (teregtwijzing, juiste plaatsaanwijzing), *explicationem* (ontvouwing, uitlegging), *definitionem* (bepaling). De singulis vid §. 139.

216. *Quaenam sunt* definitionis leges?

Definitionis leges ad ejus materiam et formam spectant.

A. Ad *materiam* quod adtinet,

1) Definitio suo definito neque latior sit, neque angustior;

2) Quantum fieri potest, definitio ne sit negans.

3) Definitio ne fiat per disjuncta;

4) Neque per synonyma.

5) Definitio ne fiat in orbem.

6) Definitio sit rei adaequata ejusque essentiam explicet.

B. Ratione *formae*, haec teneantur bonae definitionis praecepta:

1) Definitio sit accurata, perspicua, brevis.

2) Non utendum terminis novis, nisi necessariis, iisque prius explicitis.

3) Neque denique obscuris, ambiguis, impropriis, metaphoricis.

217. *Quaenam est* bonae *definitionis* nota *praecipua?*

Bonae definitionis *nota* in hoc posita est praecepto: *cui definitio competit, ei definitum quoque, et contra.*

218. *Quâ in re cernitur definitio* mala?

Mala definitio est,

1) quae communia significat;

2) aut falsum quid enunciat;

3) aut aliquid admodum leve, non omnes aut principes notas rei essentiales continet. §. 140.

219. *Quid judicandum de bonae definitionis* momento?

Bonae definitionis ope

1) Res involutae evolvuntur;

2) Tolluntur vocabulorum obscuritas, ambiguitas, verborum pugna.

3) Omnis rectae investigationis, disputationis, institutionis fundamentum est bona definitio;

4) Cujusvis demonstrationis fons et praesidium.

5) E definitione accurata deduci possunt novae rerum notitiae. §. 141.

Cap. II.

DE DIVISIONE ET PARTITIONE.

220. *Quid intercedit discriminis* divisionem *inter et* partitionem ?

Divisio est distributio generis in formas et individua; sed *partitio* est distributio substantiae aut individui in partes constituentes. Divisio nominis appellatur *distinctio.* §. 142.

221. *Quid statuendum de divisionis formis et partibus?*

1) Res sive objectum divisionis dicitur *dividendum* aut *divisum.*

2) Ejus formae sive notiones inferiores dicuntur *disjuncta*, aut *membra dividentia.* Ex formis divisis oritur *subdivisio*, cujus *novae formae* appellantur *subdivisa*, sed *priores codivisa.*

3) Principium seu *fundamentum* divisionis est ratio dividendi, pro diverso propositi fine diversa.

4) Infinita nulla esse potest divisio, quum tandem perveniatur ad notiones simplices; sed indefinite dividi potest quaecunque notio.

5) Ex continuata divisione, eâque coördinata et subordinata series oritur divisionum, quae *schemata* et *tabulas* exhibent in diverso doctrinarum genere.

Stoici quid docuerint de divisione, legitur §. 143.

222. *Quaenam sunt divisionis leges?*

Divisionis leges hae sunt:

1) Ut divisio fundamento ne careat.

2) Formae debent aequare genus.

3) Partes divisionis se invicem ne includant.

4) In divisione sit gradatio naturalis, ne fiat saltus.

5) Utilis sit divisio et finibus positis accommodata. §. 144.

223. *Quid observandum in partitione et dispositione?*

1) *Dispositio* est argumenti alicujus partitio, cujus praecepta tenentur *brevitate*, *paucitate*, *absolutione*.

2) Ad partitionem, sive partium elaborationem, requiritur:

a) Ut singulae explicentur partes ordine naturali, perspicue, graviter; et elaboratio placeat novitate, gravitate, utilitate et jucunditate.

b) Elaborentur partes, quantum fieri possit, ita ut ad aequalitatem, ad certam quandam rationem accedant quam proxime.

c) In singulis partibus elaborandis prudens sit ubertatis et concinnitatis conjunctio. §. 145.

Cap. III.

De argumentatione et demonstratione.

224. Argumentatio *quid est?*

Argumentatio est confectio rei probandae ex principiis.

225. *Quomodo distinguitur argumentatio?*

1) Quum ex principiis verum quid aut verisimile ducitur, argumentatio dicitur *probatio* (betoog). Haec esse potest argumentatio *aut* verisimilis *aut* necessaria.

2) Argumentatio necessaria, cujus evidentia et firmitas petuntur ex hominis natura et rationis auctoritate subjectiva et objectiva, dicitur *explicatio*, *exitus* (ontwikkeling, afleiding), qua scilicet evolvuntur quae animo sunt inclusa.

Ejusmodi *deductio* medium locum tenere videtur inter argumentum conclusionemque rationis, et inter *mediocrem animadversionem* atque *admonitionem*, ab EPICURO inductam; *altera enim occulta et quasi involuta aperiri; alterâ prompta et aperta judicari* (CIC. de *Fin.* I. 9).

226. *Quid est* demonstratio?

Demonstratio est confectio rei probandae ex ipsa re objecta et intuitionis principiis; quod verbum *demonstrare* significat, aliquid quasi ante oculos ponere, ostendere, ratione evincere intuitivâ. Ita demonstrant Mathematici, Physici, Anatomici.

227. *Quaenam sunt demonstrationis et argumentationis partes?*

Rationes ad demonstrationem adhibitae sunt *argumenta* (bewijsstukken, bewijsredenen). Sed *fundamento* (bewijsgrond) intelligitur verum concessum sive principium, quo nititur argumentatio. Hujus autem vis, qua cogitur intelligentia ad adsensionem et res probanda conficitur, dicitur *nervus probandi* (betoog of bewijskracht). Exemplo sit EPICURI ar-

gumentatio, qua Deos esse evincere voluit. §. 146.

228. *Quaenam sunt demonstrationis genera?*

1) E diverso argumentorum fonte proficiscitur distinctio demonstrationis in *rationalem* (philosopham, mathematicam), et in *empiricam* (historicam). Hanc dicunt *a posteriori; illam a priori.*

2) Ad *certum* quod adtinet, distinguitur demonstratio in *necessariam* et *verisimilem.*

3) Ratione *methodi*, in *analyticam* et *syntheticam;*

4) *Formâ*, in *directam* et *obliquam* sive *apagogicam.* Haec reductione ad absurdum quid, ex opposito demonstrato, argumentationem abducit (ἀπάγει), atque ejusmodi oppositum falsum esse ostendit, secundum principium exclusi tertii inter duo contradictoria. *Directa* demonstratio argumenta petit ex ipsa rei natura atque principiis.

Directa valet inprimis ad rem probandam accurate et perspicue intelligendam.

Apagogica adhibetur, *cum* in rebus directe non facile demonstrandis, *tum* vero etiam accommodandi causâ, ubi agendum est cum ejusmodi hominibus, qui argumenta directa non capiunt.

229. *Quaenam sunt universales demonstrandi leges?*

Universales demonstrandi *leges* sunt:

1) In demonstrando ne quid abundet aut desit, neque vitium irruat, quod dicitur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, s. ἑτεροζήτησις (*mutatio elenchi*, afwijking van het stuk of de hoofdzaak).

2) Argumentorum dispositio fiat ex ordine, ne vitium committatur, quod Graeci vocant *ὕστερον πρότερον*.

3) Ne quid assumatur, quod demonstrandum sit, quod vitium dicitur *petitio principii* sive *fallacia quaesiti medii*.

4) Ne sit orbis in demonstrando.

5) Animadvertatur argumentationis genus atque nervus probandi: utrum sit argumentatio *ad veritatem*, demonstratio apodictica; an vero *ad hominem*, argumentatio probabilis; vel denique *a tutiori*. §. 147.

